Müller, Carolus
De scriptis Theognidis

De

Scriptis Theognidis

Dissertatio Inauguralis

Quam scripsit

et

Pro Summis in Philosophia Honoribus

Obtinendis

Amplissimo Philosophorum Ordini

In Universitate Literarum Jenensi

Proposuit

Carolus Müller,

Guttstadiensis.

Coronae Germanorum 1877.

Typis Garmsii.

In magno numero eorum, qui post Homerum, principem illum poetarum, pro suo quisque ingenio quantum poterant attulerunt cum ad augendam laudem literarum Graecarum tum ad illud carminum genus, quod elegiacum vocatur, excolendum, non ultimum locum obtinet Theognis.

Hic excellit inter ceteros non modo maiore versuum numero, qui de eius libro supersunt, sed delectat etiam legentium animos magis quam ceteri uberiore et sententiarum et rerum copia. Nam cum id proprium sit poetae elegiaci non tam res narrare, quam quibus animi moveatur affectionibus describere, illud interest inter Theognidem et ceteros, qui elegiaca carmina condiderunt, quod hic minus in certis quibusdam rebus suisque animi affectionibus describendis versatur, quam ex eiusmodi iudicii angustiis quasi emergens ad altiora tendit ita, ut si qua re aliquando vehementius commotus videtur, eam transferat ad omnem vitam orationem argumentumque conformans ad usum communem. Quo fit, ut in Theognidis carminibus uberrima praeceptorum copia insit ad vitam bene recteque instituendam, quae optime conveniant ad omnia tempora.

Quod Graecos minime fugit; nam non dubitandum est auctore Aeschine, quin ab Atheniensibus quidem pueri eius carmina lectitare iussi sint, quod non factum esset, nisi illa carmina digna et idonea habita essent, quibus puerorum animi sapientiae praeceptis imbuerentur. Plurimi igitur iam antiquis temporibus habitus est Theognis, non minoris aestimatur etiam hac nostra memoria a multis et doctis hominibus, qui eius versibus restituendis et interpretandis operam dederunt idque student, ut hic in numerum eorum scriptorum recipiatur, quorum scriptis in scholis nostris puerorum et adolescentium animi aluntur et coluntur.

Et quis negat eum dignissimum esse, qui nostris quoque alumnis legendus et interpretandus tradatur? Nonne etiam nos assentimur ex intimo animo eis, quae ille praecipit de fide servanda, de amicitia, de temperantia, de iustitia? Nonne admiramur, quanta in eo fuerit iudicii gravitas, quantus veritatis amor, quanta constantia in rebus adversis, quanta patriae caritas?

Quae quo magis nobis probantur, eo magis dolendum videtur, quod libri Theognidei condicio miserrima tristisque est, quod, etsi satis multa exstant, quibus poetae ingenium et naturam cognoscamus, multo plura periisse apparet.

Nam totus hic, qui exstat, liber similior est dilacerato cuidam corpori, cuius membra, et ipsa divulsa, tempestate aliqua huc illuc disiecta, tum longo intervallo undique corrasa nec ullo ordine consarcinata et in unum quasi corpus temere redacta videntur, quam Musis grato operi. Sed tamen, quamquam quae inter se cohaereant, perraro cognosci potest, quamquam multa perditis illis, quibus quid sibi voluerit poeta elucebat, nequeunt explicari semperque, quatenus nos quidem videmus, recondita manebunt, restant permulta, quae aut gravitate argumenti aut rerum veritate, quam prae se ferunt, animos legentium capiunt et quae magnam partem summa nos miseratione permovent, ut quodammodo ad illius miseriam condicionis retrusi, eandem fortunae conversionem conqueri nobis videamur. Illud autem ducere quo velit cum sit veri poetae, habemus aliquid, cur Theognidem non parvi faciamus. Accedit, quod idem non parvi momenti est ad cognoscenda ipsius tempora. Juvat enim apud eum nonnulla reperire, quibus res Megarensium ceterum paene incognitae aliquantulum illustrentur. Ergo ne iis quidem est neglegendus, qui in studia rerum Graecarum incumbunt!

Quae virtutes cum tot tantaeque sint in Theognide, mirum est nihil fere de eius vita non modo ab aequalibus, sed ne ab iis quidem, qui proxime ab illius temporibus aberant, memoriae proditum esse. De ipsa patria dubitatum diu multumque est iam antiquis temporibus; eo minus igitur miramur si, quo anno natus sit, quo mortuus, nihil certi habemus. De ceteris, quae ad vitam pertinent, quo genere sit ortus, qua vitae condicione usus sit, cum quibus aequalium ei necessitudines fuerint, qua ratione puer sit eruditus, quibus literis a quibus magistris instructus sit, quanto honore apud suos fuerit, quibus muneribus sit functus, quantum

valuerit auctoritate ad rem publicam gubernandam, de his omnibus rebus nihil ad nostra tempora manavit. Quae scimus de eius vita, de indole et ingenii facultate, de animi studio et voluntate, omnia ex eius scriptis petita sunt et quidem ex locis, quorum multos alius aliter interpretatur, qui quo spectent, fere omnes in dubitationem veniunt.

Sed de patria, de vita, de ingenio atque moribus Theognidis mox alio loco, si licebit, agemus. Hic ne huiusmodi dissertationis usitatos fines transgrediamur, eam legem orationi constituemus, ut cum breviter exposuerimus, qua re adductus, cui, qua vitae aetate Theognis carmina composuerit, copiosius disseramus de eius libro, quem nunc habemus, in appendice tantum, si locus erit, alia quaedam, quae adhuc dubia sunt, afferentes.

Qua in re illud potissimum studebimus, ut, quantum fieri poterit, animum a coniecturis avocantes, quae a viris doctis de libro Theognideo in publicum edita sunt, in iudicium vocemus doceamusque, quae nobis certa, quae incerta videantur.

Atque primum quaeritur, qua re Theognis adductus sit, ut carmina componeret. Quamquam indignatione et ira, quam conceperit ex civium factionibus et discordiis, ex domestica et publica clade, ut censet Welckerus,[1]) ad versus faciendos eum esse impulsum prorsus negari non potest, tamen unam eam causam fuisse, parum probabile est et quia pro tali instituto non satis acerbi et mordaces eius versus videntur et quod ipse eam rem nullo versu indicat, contrarium non ita paucis. Si indignatio versus fecisset, si id egisset, ut carminibus iram odiumque in populares effunderet; unde tum facultatis poeticae haud parva conscientia et elatio, quae certe conspicitur, cum dicit v. 369 seq.:

μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί.
μιμεῖσθαι δ᾽οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

Quae quominus ad aliam rem atque artem poeticam referantur, prohibetur voce ἀσόφων, quae vox ut alias σοφία antiquis temporibus, nondum florentibus aliis sapientiae aut literarum generibus, de indole poetica usurpabatur. Et magnam in eo fuisse opinionem de vero vatis officio et munere elucet e v. 769 seqq.:

Χρὴ Μουσῶν θεράποντα καὶ ἄγγελον εἴ τι περισσόν
εἰδείη σοφίης, μὴ φθονερὸν τελέθειν,

[1]) Welcker, Theognidis reliquiae, novo ordine disposuit, commentationem criticam et notas adiecit. Francofurt. 1826. Prolegg. p. XVII.

ἀλλὰ τὰ μὲν μῶσθαι, τὰ δὲ δεικνύναι, ἄλλα δὲ ποιεῖν
τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος;

Summam autem animi et ingenii contentionem in illa arte eum collocasse intellegimus v. 789:

Μήποτέ μοι μελέδημα νεώτερον ἄλλο φανείη
ἀντ' ἀρετῆς σοφίης τ' κτλ.

Jam igitur illud cognovimus non tam externa causa Theognidem ad poesin compulsum esse, quam suo ingenio et natura deductum, et quod omnibus poetis, idem illi propositum fuisse, ut aliis prodesset, illud autem alterum, ut delectaret, haud scio, an non aeque. Sed ne ab hoc quidem eius ingenium alienum fuisse docent v. 237 seqq., ubi laudis poeticae καθ' Ἑλλάδα γῆν pervulgatae gaudium significat et elegos suos Cyrni nomine insignes in conviviis cantari gloriatur. Tamen utilitatis afferendae longe praevalet consilium. —

Deinceps quaeritur, cui carminibus suis prodesse voluerit, cui potissimum vitae praecepta, quae plerisque carminibus continentur, conscripserit. Et Welckerus[2]) quidem nobilium filiis eum scripsisse censet et demonstrat. Sed audiamus poetam ipsum!

In principio libelli, qui exstat, v. 27 seq. scripta sunt haec:

Σοὶ δ'ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι, οἷά περ αὐτός,
Κύρν' ἀπὸ τῶν ἀγαθῶν παῖς ἔτ' ἐὼν ἔμαθον.

Similia legimus v. 1049:

Σοὶ δ'ἐγὼ οἷά τε παιδὶ πατὴρ ὑποθήσομαι αὐτὸς ἐσθλά κτλ.

Cyrno igitur carmina sua scripsit Theognis, Cyrnumque tam saepe alloquitur, ut eius nomen omnino septuagies sexies in reliquiis, quae exstant, inveniatur. Qua apostrophe ad Cyrnum cur poeta usus sit, de hac re praeclare Welckerus[3]): „qui apud lyricos quoque poetas, inquit, obtinuit mos, ut amico blande compellando speciem quandam rei non fictae sed verae efficerent, qua maxime movetur affectus, vel quo vellent animo sensa sua excipi, significarent, quasi non alienissimo cuique sed amicis tantum penetralia pectoris aperientes, is gnomicae poesi magis etiam conveniebat. Mitigata enim per paternae benevolentiae significationem praeceptorum severitate facilius illa se in iuvenum animos insinuabant." Idem paulo infra aliam rem, quae huc pertinet, ita explicat: „Quod Theognis simul patris simul amatoris affectum erga Cyrnum hic illic

[2]) l. l. p. XXXII.
[3]) l. l. p. LXXVI.

profiteri videtur, hoc ad vetus Dorum institutum puri verecundique puerorum amoris existimandum est.“ Sed Cyrnus ille, quis fuerit, non modo incertum est, sed etiam nomen ipsum, verumne an fictum sit, a Welckero in controversiam vocatum est. Cum enim Suidas, Photius, Hesychius Cyrnum Theognidis delicias appellent, Welckerus[4]) negat, Κύρνε esse nomen proprium, sed appellativum, quod sonet fere fili. Quod hodie nemini, credo, virorum doctorum probatur; non est igitur, cur a nobis refellatur. Verum idem Welckerus in editione sua etiam gnomas ad Polypaïdem seiunxit ab eis, quae Cyrni nomen prae se ferunt, licet ipse fateatur[5]): „Quae Polypaïdae nomen prae se ferunt sententiae, conveniunt eae quidem et dictione et argumento maiorem in modum cum Theognideis quibusdam ad Cyrnum.“ Quod etiamsi plerique hodie temere factum existimant, tamen haud dubie sunt, quae in utramque sententiam disseri possint. Nam primum potest dubitari, quid poeta secutus sit, cum duobus nominibus, uno proprio, altero patronymico, quod dicitur, uteretur. Dicet quispiam, id quod in promptu est, variare eum voluisse nomina. Sit hoc ita; at cur, quaesumus, non variavit poeta, ubi in iisdem carminibus bis aut ter continuo Cyrni nomen legitur? cur non saepius? Deinde suspicionem movet non levem, quod quae disticha Polypaïdae nomen prae se ferunt, nusquam ita coniuncta et colligata sunt cum antecedentibus aut sequentibus, ut salva sententia non possint ab iis separari. Denique non praetermittendum videtur, cum novies Polypaïdae nomen legatur, quod tres loci ita comparati sunt, qui num genuini sint in dubitationem veniant. Bis enim eo disticho, quo Polypaïdes compellatur, quasi respondetur poetae ab altero ad ea, quae ante dixit (v. 25: οὐδὲν θαυμαστόν, Πολυπαΐδη, v. 191: οὕτω μὴ θαύμαζε γένος, Πολ. κτλ.). v. 57 autem hoc nomen posteriore tempore insertum videtur et hi versus huc ab alio loco (v. 1109 seqq.) delati esse.

Non tamen ausim haec pro certis et exploratis affirmare; nam non desunt, quibus ad contrariam sententiam adducamur.

Versus enim 191 seq. versibus 183 seqq. iam antiquis temporibus subiunctos fuisse apparet ex loco Xenophonteo, quem infra afferemus. Praeterea mirabile videtur, quod Polypaïdae nomen, cum novies omnino, ut diximus, inveniatur, septies legitur

---

4) l. l. p. LXXVIII.

5) l. l. p. C.

in 191 primis versibus (v. 25, 57, 61, 79, 129, 143, 191), qui certe, si aliqua huius libelli pars, proxime ad pristinam formam et ordinem accedere videntur, bis tantum in reliquis plus mille versibus (v. 541 et 1197). In ea igitur parte nomen Polypaïdae crebrum est, ubi Cyrni quoque saepissime occurrit, in ea desinit apparere, ubi etiam alterum rarius est. Sunt ergo in hac re multa incerta et dubia relinquenda. Sed post hanc digressionem revertamur ad propositum! Cyrno igitur sive Polypaïdae carmina sua scripsisse Theognidem vidimus; sed etiam alios, qui scripta sua legerent, eum respexisse intellegitur ex v. 681 seq., ubi postquam labentem rem publicam imagine usus navis tempestatibus iaetatae descripsit, quamobrem ea ita scripserit, causam addit hisce:

ταῦτά μοι ᾐνίχθω κεκρυμμένα τοῖς ἀγαθοῖσιν,
γινώσκοι δ᾽ἄν τις καὶ κακός, ἢν σοφὸς ᾖ.

Restat, ut paucis dicamus, qua vitae aetate Theognis carmina condiderit. Atque mihi quidem videtur probabile esse Theognidem, ubi primum huic arti operam dare coeperit, nullo aetatis tempore ab ea recessisse. Coepisse autem admodum adolescentem, satis multa vestigia mihi videntur significare, quae exstant in eis carminibus, quae iuvenilis ardoris plena et aperte ex hilariore animo profecta sunt, quae tamen fere omnia — utrum iure an iniuria, infra videbimus — recentiores a Theognide abiudicant. Senem vero aut certe provectiore aetate plurima carmina, quae quidem exstant, eum composuisse apparet ex ipsa ratione et consilio, quod longe plurima sequuntur.


Jam expeditis eis, quae obiter tractanda nobis proposueramus, aggrediamur ad librum ipsum, quem nunc habemus.

Vulgo feruntur Theognidis nomine versus 1389, quem numerum unus codex Mutinensis A complet. Excellit autem is codex ceteris non modo maiore versuum numero, sed etiam vetustate et scripturae praestantia.

Idem ex omnibus unus amatoria carmina continet, quae in editionibus nostris sunt v. 1231—1389, et quidem inscripta Ἐλεγείων B. Est autem decimi saeculi. Ex reliquis, qui commemorentur, digni sunt cod. O, Vaticanus 915, XIII saec. et cod K, Venetus Marcianus 522 XV saec., quorum hunc ex illo descriptum esse recens Ziegler[6]) demonstravit. Quomodo autem omnes

[6]) Theognidis Elegi e codd. tribus ed. Chr. Ziegler. Tubing. 1868.

libri mss. propinquitate inter se coniuncti sint, hoc Nietzschii[7]) stemmate oculis subiciatur, in quo signis X X, X_2 codices, qui perierunt, notantur:



Praeter eos, quos modo nominavimus, libros mss. ad contextum libri Theognidei constituendum non parvi momenti est Stobaeus, qui 56 locos Theognidis nomine ornatos affert, in his quatuor disticha (v. 1157—8 et v. 1221—26), quae in nullo cod. ms. extant, quorum sex versus primus Elias Vinetus[8]) editioni vulgatae adiunxit. Vulgata autem editio a cod. C petita est, certe Aldina princeps editio, quae prodiit a. 1495 eum codicem typis expressum praebuit. Mutinensis cod. scripturis primus usus est in editione sua J. Bekker, Lips. 1815. Sed haec de libris, quibus servata sunt, quae Theognideorum ad nostra tempora manserunt, satis sint.

Quae autem servata sunt, non esse integrum Theognidis opus, ipso reliquiarum adspectu cognoscitur, cum nullus aut rerum ordo appareat aut temporum ratio cernatur, qua singula inter se nexa putes et absurdum videatur statuere a poeta ipso tam confusum opus conditum esse aut quae eiusdem temporis vel argumenti fuerint, de industria divulsa et in publicum edita esse. Idem confirmatur disertis veterum scriptorum testimoniis. Atque primus hic nominetur Suidas, qui etsi non antiquissimus est auctorum, tamen et propter auctoritatem eorum, quibus ipse nititur, non est

---

[7]) in Mus. Rhen. Nov. XXII, 166.

[8]) Theognis Gr. et Lat. c. El. Vineti scholiis. Par. 1543. 4.

contemnendus, et testimonii ipsius gravitate atque subtilitate ceteris praestat. Sunt autem apud Suidam v. Θέογνις haec: Θέογνις Μεγαρεὺς τῶν ἐν Σικελίᾳ Μεγάρων γεγονὼς ἐν τῇ νθ' ὀλυμπιάδι. ἔγραψεν ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακοσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ. γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βω' καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὑτοῦ ἐρώμενον γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς, τὰ πάντα ἐπικῶς. — Ὅτι μὲν παραινέσεις ἔγραψε Θέογνις, ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες καὶ ἄλλα, ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος.

Hinc apparet fuisse olim si non complures Theognidis libros diverse inscriptos, certe pleniorem aliquem et ampliorem, versuum 2800 aut 2806, si recte coniecit Schoemannus[9]) pro ἐπικῶς scribendum esse ἔπη βως'.

Deinde veterem versuum ordinem valde turbatum esse certus testis est Plato[10]), qui inde a v. 31 seqq. ὀλίγον μεταβάς in suo libri Theognidei exemplo legit versus, qui in nostris editionibus sunt v. 435 seqq. Illud enim ὀλίγον μεταβάς, etsi quam late pateat, definiri non potest, tamen, quidquid contra disputavit Graefenhan[11]), manifestum est pertinere ad minus quam quadringentorum versuum spatium, quod hodie illis sententiis interiectum est. Eiusdem rei auctor non contemnendus exstat apud Stobaeum[12]) sive Xenophon sive Antisthenes, ut Bergkius[13]) coniecit, qui versus 183—190 ait olim in initio τῆς ποιήσεως fuisse. Itaque ex eis, quae modo attulimus, quamvis de singulis possit dubitari, certe illud apparet, fuisse olim librum Theognideum longe diversum a nostro, non modo pleniorem et integriorem, sed alio etiam versuum ordine. Illius quae forma fuerit, antequam quaeramus, videtur necesse esse de nostri libelli condicione agere.

Atque hanc quidem esse farraginem sive aliquo casu conflatam sive a grammatico aliquo tenui aut nullo iudicio undique corrasam et consarcinatam longe plurimi adhuc persuasum habent. Nulla igitur obstante religione, cum omne consilium, cui vetustas praesidio esset, plane abesse a nostra collectione putaretur, exsti-

9) „Schediasma de Theognide“ in eiusdem opusculis academicis vol. IV p. 24.

10) Meno. p. 95 E.

11) „Theognis Theognideus“, Mulhusae 1827 p. 26 seqq.

12) LXXXVIII, 14.

13) „Poetae lyrici Graeci“, Pars II poetas elegiacos et iambographos continens; ed. III p. 497.

terunt, qui suum consilium et arbitrium inferre conarentur spe adducti non solum literatorum omnium laudem sese consecuturos, sed etiam de restituendo scriptore ipso bene merituros, si, quae confusa et incondita essent, certa ratione constituissent librum et iucundiorem efficientes ad legendum et ad pristinam genuinamque formam, quantum possent, revocantes.

Quae spes eos fefellit, neque cuiqam adhuc contigit, ut eiusmodi conatum omnibus probaretur; ne Welckero quidem — ut superiores omittamus — qui recentiore tempore ei rei operam dedit. Neque id mirum. Nam quamvis largiamur, facilius legi et intellegi librum, cum res similes et propinquae vicinis locis sint collocatae, quam cum per totum librum dispersas aegre conquirere cogaris, tamen dubito an nemini liceat impune a codicum auctoritate recedere planeque suo arbitrio uti in edendo libro.

Semper enim, licet maxima sis sagacitate summaque subtilitate, periculum est, ne a vera via aberretur ratioque libro subiciatur longe alia, atque scriptor ipse sit secutus. Quod in vitium Welckerum incidisse etsi non magnopere contendimus, praesertim cum, quae prima libri ratio fuerit, non constet, tamen totum eius ordinem omni auctoritate antiquitatis carere et omnino ex libidine et arbitrio profectum esse nemo neget. Quapropter qui post Welckerum librum Theognideum edidere, illud unum studuerunt, ut contextum, qui dicitur, efficerent quam emendatissimum, ceteris in rebus nihil mutaverunt. Et recte. Nam aliquid saltem rationis et consilii constare, mihi quidem iam non dubium videtur. Id quid sit, nunc exponemus.

Jam Welckerus animadverterat[14]) nonnulla carmina repetitis paribus verbis inter se conexa esse, nec tamen multum ei rei tribuit. Tum vero Nietzschius[15]) recentissimo tempore diligentius ea re investigata probavit in longe maxima reliquiarum parte eam legem valere, ut binis fragmentis singula aut eadem aut similia vocabula communia essent. Quae lex, si semper accurate observata esset, postularet, ut bina in singulis carminibus verba essent, quorum unum eidem antecedentis carminis, alterum subsequenti responderet. Habes formulam hancce:

fragm. a — vox X,
fragm. b — „ X, vox Y,
fragm. c — „ Y, „ Z etc.

---

14) Prolegg. CXI.
15) in Mus. Rhen. Nov. XXII, 171—77.

Nonnunquam tamen, docet Nietzschius[16]), abiri in hanc formulam:

fragm. a — vox X,
fragm. b — „ X,
fragm. c — „ X, vox Y,
fragm. d — „ Y etc.

Prorsus autem neglectae legis idem has causas attulit, quod versus repetiti a librariis omissi essent, aut quod in nostris editionibus aliter atque antiquis temporibus carmina dividerentur. Sed cum obiter legenti aut aliis rebus intento ea lex non appareat, quia illa verba, quae pro vinculis carminum sunt, neque conspicuis locis sunt posita neque ipsa totius sententiae gravissima sunt — id quod maxime ab eiusmodi ratione diversa inter se nectendi desideratur, — vereor ut cuiquam adhuc, quae Nietzschius in hanc sententiam disseruit, probabilia videantur. Leutschius quidem probavit, quae contra disputavit Fritzschius,[17]) qui, quid sibi videatur, breviter comprehendit in hunc modum: „In den 1389 Versen können wir nicht eine Redaktion erblicken, deren Ordnungsprincip das Stichwort ist, sondern müssen uns begnügen, durch Nietzches Untersuchung gelernt zu haben, dass unser Theognis zusammengeschrieben ist aus mehreren Sammlungen, deren eine und zwar hauptsächlich benutzte nach dem Stichwort geordnet war.“ Nihilominus haec res mihi digna visa est, in quam denuo inquirerem cum retractans, quae Nietzschius invenisse sibi videtur, tum eas partes perquirens, quas ille praetermisit. Illud autem ego maxime studui, ut conquirerem verba omnia, quae aut paria aut similia aut nonnunquam pariter tantum sonantia aut idem valentia in vicinis fragmentis inveniuntur. Sic enim mihi persuasi non posse hanc controversiam disceptari et diiudicari, nisi omnia, quae huc pertineant, summa cura ac diligentia congesta et in uno conspectu posita sint. Nam selectis tantum eis partibus libri, quae illi legi aut obstant aut favent, ut quemque animus in hanc aut illam partem fert, uti licet, quicunque alios ad alteramutram sententiam vult perducere, non licet, quicunque ad veram universi libri rationem cognoscendam vult pervenire. Quae igitur ita, ut dixi, conquisivimus, hic apponimus, literis latius dispositis conspicua reddentes, quae apud Nietzschium l. c. leguntur, et numeris additis indicantes, quot carmina inter paria verba interiecta sint.

[16]) l. l. p. 172.
[17]) Philolog. XXIX, 526—46.

	1—4.	ἄνα.	Λητοῦς υἱέ.				Διὸς τέκος 1.		σὺ δέ μοι κλῦθι. 1.	
	5—10.	ἄναξ.	τέκε Λητώ.							
	11—14.						θύγατερ Διός.		εὐχομένῳ μοι κλῦθι.	
Bergk:18)	15—16.	καλὸν	ἔπος.				κοῦραι Διός.			
15—18.	17—18.	καλόν.	τοῦτ' ἔπος.							
B:	19—24.	Κύρνε.	ἔπη.				οὔπω πᾶσιν	ἁδεῖν.	ἀστοῖς τοῖσδε. 3.	
19—26.	25—26.	Πολυπαΐδη.					οὔτε πάντεσσ'	ἁνδάνει. 1.		
	27—30.	Κύρνε. 1.	ἔμαθον.							
	31—38.		μαθών					ἅνδανε. 1.		
	39—42.	Κύρνε.	πόλις ἥδε.				κακῆς ὕβριος.		ἀστοὶ οἵδε. 3.	
	43—52.	Κύρνε.	πόλει τῇδε.				ὑβρίζειν κακοῖσι.	ἄδη. δίκας	κερδέων	εἵνεκα. 2.
B:	53—56.	Κύρνε.	πόλις ἥδε.					δίκας.		
53—60.	57—60.	Πολυπαΐδη.				ἀπατῶσιν.				
	61—68.	Πολυπαΐδη.				ἀπάτας.	χρῆμα σπουδαῖον.		τῶνδε ἀστῶν.	χρείης εἵνεκα
	69—72.	Κύρνε. 1.				πίσυνος.	πρῆγμα σπουδαῖον.			
	73—74.		παῦροι.			πιστόν.	Πρῆξιν. 19)			
	75—76.	Κύρνε.	Παύροισιν. 1.			πίσυνος.	ἔργα.	ἀνδράσι		
	77—78.	Κύρνε.				Πιστός.		ἀνήρ.	ἐν χαλεπῇ.	
	79—82.	Πολυπαΐδη.	Παύρους	εὑρήσεις		πιστούς. 1.	πρήγμασι.	ἄνδρας.	ἐν χαλεποῖς. ὁμόφρονα θυμόν. 1.	
	83—86.		οὐ τόσσους	εὑρήσεις.			γλώσσῃ. 1.	ἀνθρώπους.		
	87—88.	στέργε.				πιστός.				πιστὸς νόος.
	89—92.	φίλει.	οὗτος	ἑταῖρος		δειλός.	γλώσσῃ.			καθαρὸν νόον.
	93—96.		τοιοῦτος	ἑταῖρος. . . .	φίλος.	οὔτι ἐσθλός.	γλῶσσαν.			
	97—100.		τοιοῦτος	ἐμοὶ φίλος.		ἑταῖρον. 2.				
	101—4.		δειλὸς.	ἀνήρ. 1.	φίλος.	οὔτ' ἂν	οὔτε κεν. . . .			
	105—12.		δειλούς.		φίλος.	οὔτε γὰρ	ἂν . . . οὔτε.			
	113—14.		κακὸν	ἄνδρα. 1.	φίλον. 2.	ἑταῖρον.				
	115—16.					ἑταῖροι.				
	117—18.	Κύρνε.	ἀνδρός		κιβδήλου	γνῶναι	χαλεπώτερον οὐδέν.			
B:	119—24.	Κύρνε 1.	νόον ἀνδρός.	φίλου.	κιβδήλοιο	γνῶναι	πάντων ἀνιηρότατον.			λελήθῃ. 4.
119—28.	125—28.		ἀνδρὸς νόον.			γνώμην.		ἐξαπατῶσι. 3.		
	129—30.	Πολυπαΐδη.	ἀνδρί.				ἀρετὴν ἄφενος. 3.		ἀνδρὶ γένοιτο	τύχη. 1.
	131—32.	Κύρνε.	Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι.							
	133—42.	Κύρνε.	Οὐδείς. οὐδέτις ἀνθρώπων.			Θεοί.			τῷ ἀνθρώπων	παραγίνεται. 2.
	143—44.	Πολυπαΐδη.	Οὐδείς.			ἀθανάτους. 1.		ἐξαπατήσας.		ἔλαθεν.
	145—48.	Κύρνε.					ἀρετή.	χρήματα.		

[18]) Interdum a Bergkiana versuum distributione discessimus, fecimusque. plures et minores partes, cum suspicio erat propter similitudinem tantum verborum eas partes inter se conexas esse, et cum ne sententiae quidem apte inter se cohaerere videbantur.

[19]) Scripsimus primas vocabulorum [praeter nomina propria] literas maiusculas, ut indicaremus, eas fortasse aliquid valuisse ad ordinem constituendum.

	149—50.	Κύρνε.		ἀνδρὶ δίδωσιν.	ἀνδράσιν ἕπεται. 1.		δαίμων. ἀρετῆς.	χρήματα. 1.	(ἀνδράσιν ἕπεται.)	
	151—52.	Κυρνε. 2.		ὤπασεν ἀνδρί. 1.		ὕβριν.	θεός. 3.			
	153—54.				ἕπηται ἀνθρώπῳ.	ὕβριν.		ὄλβος.		
	155—58.		Μήποτε.	ἀνδρί.				πλουτεῖν. 2.	πενίη. 2.	
	159—60.	Κύρνε.	Μήποτε.	ἀνδρί. 3.	οὐδεὶς ἀνθρώπων. 1.	τελεῖ.				
	161—64.					τέλος.	δαίμων.			
	165—66.	οὔτε κακὸς οὔτ' ἀγαθός. 2.			οὐδεὶς ἀνθρώπων.	νόσφιν. 2.	δαίμονος. 1.	ὄλβιος.	πενιχρός. 3.	
	167—68.				οὐδεὶς ἀνθρώπων. 1.			ὄλβιος.		
	169—70.			ἀνδρός. 1.	οὐδεμία.		θεοί.			
	171—72.	οὔτ' ἀγάθ' οὔτε κακά.			ἀνθρώποις.		ἄτερ θεῶν.			
B: 173—78.	173—74.	Κύρνε.		ἄνδρα.				δάμνησι	πενίη.	
	175—78.	Κύρνε.		ἀνήρ.	Χρή.	πόντον.		δεδμημένος	πενίη.	
	179—80.	Κύρνε.			Χρὴ δίζησθαι 1.	θαλάσσης.			πενίης.	
	181—82.	Κύρνε.		ἀνδρί.				τειρόμενον	πενίη.	
B: 183—92.	183—90.	Κύρνε.	γῆμαι. 1.	ἔμιξε γένος.	διζήμεθα.	ἐκ κακοῦ ἐσθλός.			πλοῦτος	χρήματα. 1.
	191—92.	Πολύπαϊδη. 4.		μίσγεται γένος.		ἐσθλὰ κακοῖς.				
	193—96.		εἰς οἴκους ἄγεται.	νόον.						χρήμασιν.
	197—208.		οὐδὲ φίλοισιν.	νόον.	ἄτην. 6.					χρῆμα. 6.
	209—220.		οὐκ φίλος. 1.							
	[211—12.]									
	213—14.	Κύρνε. 1.	φίλους.	ὀργήν.		ποικίλον ἦθος. 3.				
	215—18.		ἀτροπίης. 1.	ὀργήν. 1.						
	219—20.	Κύρνε. 2.								
	221—26.		ἄφρων.	νόου.		ποικίλα δήνε'.				
	227—32.		ἀφροσύνη.		ἄτη.				πλούτου.	χρήματα.
	233—34.	Κύρνε.	κενεόφρονι.	ὀλίγης τιμῆς	ἔμμορεν. 2.					
	235—36.	Κύρνε.	αὐλός. (ex coniect. Bergk.)							
B.	237—52.	Κύρνε.	αὐλίσκοισιν.							
	253—54.				ὀλίγης τυγχάνω αἰδοῦς.					
	255—56.	κάλλιστον.					τὸ τυχεῖν.			
	257—60.	καλή.				ἀλλὰ κάκιστον ἄνδρα.	φέρω.	ἀνιηρότατον. 2.		
	261—66.					ἄλλος ἀνὴρ κακίων. 2.	φέρει.			
	267—70.	πάντῃ	δ' ἐπίμυκτος. 6.		ἐχθρή.					
	271—78.				ἐχθαίρουσιν. 5.			ἀνιηρὰ παθών.		ἀπολέσθαι.
	279—82.			δίκαια		κακὸν ἄνδρα	κακῶς. 2.	ἡγεῖσθαι. 2.	νομίζειν. 2.	ἀνελέσθαι.
	283—86.	ἀστῶν.								
	287—88.	πόλει.								
	289—92.			δίκην		κακὰ κακοῖσιν ἀνδρῶν. 5.		νόμος.	ἡγέονται.	ὕβρις. 5.
	293—94.									

295—98.	δὲ πάντες . . . ἐπίμυξις.			ἐχθαίρουσι					
299—300.	ἐκ γαστρὸς γεγόνη. 2.			φίλος. 2.					
301—2.	?								
303—4.	?								
305—8.	ἐκγαστρὸς γεγόνασιν.			φιλίην. 4.		κακοὶ οὐ π. κακοί. ἄνδρεσσι. ὕβριν			
309—12.	Ἐν μέν.	πάντα.							
313—14.	Ἐν μέν.	πάντων.							
315—18.		ἔμπεδον αἰεί.	πλοῦτον.		κακοί.	ἀρετῆς. 6.			
319—22.	Κύρνε.	ἔμπεδον αἰεί.	πλοῦτον.		κακῷ ἀνδρί				
323—28.	Κύρνε.	θεοί.		φίλον	ἄνδρα.		Μήποτ᾽ ἐπὶ προφάσει. 3		
329—30.	Κύρνε.	θεῶν.			ταχὺν ἄνδρα 2.				
331—32.	Κύρνε.		μέσσην ὁδὸν 2.	ἔρχεο. 1.					
codices 209—10.		φεύγοντι.		φίλος.					
333—34.	Κύρνε.	φεύγοντ᾽		βάς φιλήσῃς. 1.	ἄνδρα		Μήποτ᾽ ἐπ᾽ ἐλπίδι.		
335—36.	Κύρνε.		μέσ᾽ ἄριστα.			ἀρετήν			
337—40.	Κύρνε.	Ζεύς	μοι δοίη.	φιλεῦσιν.			μοῖρα. 2.	τίσιν.	
341—50.		Ζεῦ	δός μοι. ἀντὶ	κακῶν ἀγαθόν 1.				τίσις. 3.	εὐχήν. 1.
351—54.		μὴ λίην. 1.				οὐκ ἐθέλοντα	φίλει. 5.		
355—58.	Κύρνε.			ἐξἀγαθῶν κακόν.			μοῖρα.		ἐπευχόμενος
359—60.	Κύρνε.	μηδὲ λίην		κακόν					
361—62.	Κύρνε.			κραδίη μινύθει. 1.				ἀποτινυμένη	
363—64.				νόον τελέθει κραδίη.				τῖσαι	
365—66.				νόον. 1.					
367—70.	ἀστῶν οὐ γνῶναι νόον.								
371—72.						μή μ᾽ ἀέκοντα. 2.	εἰς φιλότητα λίην.		
373—80.	ἀνθρώπων εὖ οἶσθα νόον.			σωφροσύνη. 2.			τολμᾷ νόος. 1.	τὸ δίκαιον. 1.	
381—82.			ἀθανάτοισι. 2.	δαίμονος. 3.					
383—92.	πενίην.	χρημοσύνη.		παράγει εἰς	ἀμπλακίην. 2.	οὐκ ἐθέλων.	τολμᾷ φέρειν.		δικαια φιλειν
393—98.	πενίη.	χρημοσύνη.		ἰθεῖα γνώμη.		ἕπεται. 3.	τολμᾶν χρή. 12.	φέρειν.	δικαια φρον.
399—400.	φίλος. 1.		ἀθανάτων.						
401—6.			δαίμων.	διζήμενος. 4.	παράγει εἰς ἀμπλακ.			ἀρετὴν κέρδος. 16.	εὐμαρέως. 15.
407—8.	φίλτατος. 1.						γνώμης. 1. ἔτυχες. 11.		
409—10.		Οὐδένα	Κύρνε.				ἕπεται		
411—12.	ἑταῖρος. 1.	Οὐδενός. 1.	Κύρνε.		δύναμις. 2.		ἕπεται	γνώμη.	
413—14.			ἔπος ?						
415—18.	ἑταῖρον.	Οὐδέν.	λόγος	διζήμενος.		βάσανον. χρυσόν. τρίβομαι. 6.			
419—20.	σιγῶ.			Πολλά.	δύναμιν.				
421—24.	γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται			Πολλοῖς					
425—28.	φῦναι.		κεῖσθαι.						

	429—38.	φῦσαι			νόημα.	ἄφρονα.	σώφρονα.		
	439—40.				ἔχει νόον. 4.	νήπιος. 2.			
	441—46.		χρὴ δῶρ᾽	ἀθανάτων. 4.					χρὴ ἐπιτολμᾶν
	447—52.		ὕδωρ ?					βασάνῳ χρυσὸν τρίβομενον.	
	453—56.					ἄφρων.	σώφρων		γνώμης ἔλαχες
	457—60.						σύμφορον?		
	461—62.		χρήμασιν.		νόον.				
	463—64.		χρῆμα. 1.	θεοὶ δόσαν	κῦδος.				εὐμαρέως
	465—66.				κέρδος?		νικάτω. 3.		ἀρετήν. κέρδος
	467—74.	οἴνῳ.	χρῆμα.		μαλθακὸς ὕπνος.				
	475—76.	οἴνου	μέτρον.		ὕπνον λυσικάκου				
B.	477—92.	οἶνος.	μέτρον. 1.		μυθεῖται.				
	493—96.	κρητῆρι		.	μυθεῖσθε.		ἀνίκητος.		
	497—98.	οἶνος.	ὑπὲρ μέτρον.		ἀνδρὸς				
B.	499—502.	οἶνος.	ὑπὲρ μέτρον.		ἀνδρὸς	νόον.			
	503—8.	οἶνος.				νόον.	μή τι μάταιον 2		
	509—10.	οἶνος	ἤν δέ τις.						
	511—22.		ἤν δέ τις. (bis)			φίλος. 3.			
	523—24.	Πλοῦτε		φέρεις κακότητα.			οὔ σε μάτην.		
	525—26.	πλοῦτον		φέρειν ἀνδρὶ	κακῷ.				
	527—28.	?							
	529—30.		δούλιον οὐδέν 2.			φίλον.			
	531—32.			φθεγγομένων	αὐλῶν	φίλον.			
	533—34.			εὔφθογγον	αὐλητῆρος.				
	535—36.		Οὔποτε δουλείη.						
	536—38.	Οὔτε	δούλης.						
	539—40.	Οὗτος.	Κύρνε.			εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι θεοί. 3.			
	541—42.		Πολυπαΐδη.						
	543—46.		Κύρνε.		δικάσσαι δίκην.				
	547—48.				δικαίῳ.	εὐεργεσίης. 8.			
	549—54.	ἄγγελος. 7.	ἄφθογγος. 5.			εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι			θεοί.
	555—56.				χαλεποῖσιν ἄλγεσιν.			χρὴτολμᾶν 13.	θεῶν ἔκλυσιν ἀθανάτων. 12.
	556—58.				κίνδυνος. 11.				
	559—60.								μήτε λίην. 12.
	561—62.								
	563—66.			διδαχθῇς. 4.					
	567—70.		ἄφθογγος.						
	571—72.								
	573—74.	ἄγγελον				εὐεργεσίης			

575—76.	?			φίλοι. 7.				
577—78.		δίδασκ'.						
579—80.	Ἐχθαίρω	ἄνδρα.						
581—82.	Ἐχθαίρω	γυναῖκα.						
583—84.	?							
585—90.			κίνδυνος.		εὐδοκιμεῖν πειρώμενος.			ἔκλυσιν ἀφροσύνης.
591—92.						χρητολμᾶν		
593—94.							μήτε λίην	
595—96.	κόρος.	ἀλλήλοισιν ὦμεν ἑταῖροι.						
597—98.		φίλοι ὦμεν ἄλλοισι.			ψυχρόν (ψυδρόν?) 2.			
599—602.		φιλίην.						
603—4.	ὕβρις	ἀπώλεσεν						
605—6.	κόρος	ὤλεσεν			?			
607—10.	?				ψεῦδος.			
611—14.	Οὐ.	ἀγαθοί.	μέτρον.					
615—16.	Οὐδένα.	ἀγαθόν.	μέτριον		ἀνθρώπων.			
617—18.	Οὔτι.	πολλῷ			ἀνθρώποις. 1.			
619—20.		Πόλλ'	πενίης					
621—22.		Πᾶς	πενιχρόν		ἀνθρώποις	νόος. 3.		
623—24.		Παντοῖαι			ἐν ἀνθρώποισιν.			
625—26.		Α . . .		φρονέοντα παρ' ἄφροσι.				
627—28.		Α . . .		μεθύοντα παρὰ νήφοσι				
629—30.						θυμόν. νόον		
631—32.				θυμοῦ. νόος.				
633—34.				νόον.				
635—36.	αἰδώς. 5.			? γνώμη. 1.				
637—38.					ἐλπίς.	ἐν ἀνθρώποισι. 4.		
639—40.				ἔργα. δόξαν	καὶ ἐλπίδα.			Πολλάκις. 1.
641—42.		εὔνουν.	σπουδαίου	πρήγματος				
643—44.		φίλοι	ἑταῖροι.	σπουδαίῳ πρήγματι			παυρότεροι	Πολλοί
645—46.		κείμενος.	ἑταίρους.				παύρους	
647—48.	αἰδώς							
649—52.		ἐπικειμένη				ἐν ἀνθρώποισι.		
653—54.	Κύρνε.					πενίη. 4. μετ' ἀνθρώπων. 4.		
655—56.	Κύρνε.	ἀνιώμεθα.						
657—58.		ἀσῷ φρένα. 2.	ἀγαθοῖσιν. 1.					
659—60.	πρῆγμα.							
661—66.	πρῆξαι. 2.		ἐξ ἀγαθοῦ.	νυκτὶ μιῇ. 1.		πενιχρὸς ἀνὴρ	ἐπλούτησε.	

B. 667—70.		ἀνιῴμην.	ἀγαθοῖσι.		γινώσκοντα.	χρήματα.	
671—82.			ἀγαθῶν.	νύκτα δία.	γινώσκοι.	χρήματα	
683—86.	ἔρδειν. 1.			τὰ καλὰ ζητοῦμεν. 4.	ἀΐδριες. 3.	πλοῦτον. 6.	χρήματα.
687—88.		Οὐκ ἔστιν					
689—90.	ἔρδειν.	Οὐ χρὴ	τελέσαι.				
691—92.	φίλοις. 2.		τελέσειας.				
693—94.		πολλούς. 1.			ἀφραίνοντες		
695—96.				τῶν καλῶν ἐρᾷς.	θυμέ.		
697—98.	φίλοι	πολλοί.			νόον		
699—718.		πλήθει.				πλουτεῖν.	
719—28.		θνητοῖσι.				πλουτοῦσι.	
729—30.		ἀνθρώπων.					
731—42.	Ζεῦ πάτερ. 2.		ἀτασθαλίαι.	μή τιν᾽ ὑπερβασίην.			
743- 52.	ἀθανάτων βασιλεῦ.		ἀτάσθαλος	μή τιν᾽ ὑπερβασίην.		θυμὸν ἔχων.	
753—56.			ἀτασθαλίης		σώφρονα θυμὸν ἔχων.		
757—68.	Ζεῦς.	τῆσδε πόληος. 1.	᾿Απόλλων. 1,	Μήδων πόλεμον. 1.	ὁμόφρονα θ. ἔχοντα.		εὐφροσύνως. 1.
769—72.	σοφίης. 2.						
773—82.		τῆσδε πόληος.	Φοῖβε.	στρατὸν Μήδων.	τερπόμενοι.		εὐφροσύνη.
783—88.				ἐπὶ φρένας τέρψις.			προφρόνως
789—92.	σοφίης				τερποίμην.		
793—96.	ἄλλος κακῶς, ἄλλος ἄμεινον ἐρεῖ.			φρένα τέρπε.			
797—98.	ἄλλος μέμφεται, ἄλλος ἐπαινεῖ			γίνεται οὐδεμία			
799—800.	ἀνθρώπων. ἄψεκτος.			γίνεται οὐδείς.			
801—4.	ἀνθρώπων. πᾶσιν ἁδών.			οὐδὲ γάρ.	οὐδείς.		
805—10.	Κύρνε.	χρὴ νοῦν (ex coniect. Hart.)		οὐδὲ γάρ.			
811—14.	Κύρνε.	χρῆμ᾽ ἔπαθον. 1.	εἰδήσω.				
815—16.			ἐπιστάμενον.				
817—18.	Κύρνε.	μοῖρα. παθεῖν.					
819—20.	Κύρνε						
821—22.	Κύρνε.	χώρη ὀλίγη τελέθει. 1.					
823—24.	?						
825—30.	Π . . .	ἀπολλύμενον χῶρον. 10.					
831—32.	Π . . .	ὄλεσσα.					
833—36.	Π . . .						
837—40.	πόσιος						
841—42.	οἶνος.						
843—44.	πόσιος.						
845—46.	?						
847—50.	?						

851—52. ?								
853—54. ?								
855—56.	πολλάκι.							
857—60.	παυράκι.		φίλων. φιλότητας.					
861—54.			φίλοι					
865—68.			φίλοις					
869—72.			οἵ με φιλεῦσιν.					
873—76.	οἶνε. 1.		φιλεῖν					
877—78.		ἥβα μοι. 1.						
879—84.	πῖν' οἶνον							
885—86.		κωμάζοιμι.	πολέμον.		πόλιν.			
887—88.			μαρνάμεθα.		πατρῴας γῆς. 1.			
889—90.	αἰσχρόν κτλ.		πόλεμον					
891—94.	ἀναλκίης.			Ζεύς. 1.	πόλιν			
895—96.	Κύρνε.	γνώμης ἔχει.						
897—900.	Κύρνε.	νοῦν ἔχει.		Ζεύς.	ἔργματα			
901—2.			σοφός.		ἔργον			
903—22.	κατὰ χρήματα.		τοῖς συνιεῖσιν.		φείδεσθαι. 1.	πτωχεύει.		
923—30.	κατὰ χρήματα.			παῦροι. 1.		πτωχεύων.		
931—32.	χρήματα.				φείδεσθαι			
933—38.		ἀρετή.		παύρους.				
939—42.	ἔβην. 1.	σοφίης			ἀειδέμεν	αὐλητήν.		
943—44.					ἀείσομαι.	αὐλητῆρος		
945—46.	εἶμι.			κλινόμενος.				
947—48.	πειθόμενος.			τρέψας.				
949—54.	πεποιθώς.			δρήσας.				
955—56.	χάρις.			ἔρδοντι				
957—58.	χάριν οἶδας. 1.							
959—62.	ἔπινον. 1.							
963—70.		εἰδῇς						
971—72.	πίνοντ'. 3.			ἆθλον. 5.				
973—78.		Διωνύσου δῶρ'.				τέρπεται.		
979—82.		παρὰ κρητῆρι.			φρένα θέλγοις		ἀλλ' ἔρδων. 2.	
983—88.		ἐν θαλίῃσι			θυμόν τερπόμενοι.			ἵππων. 3.
989—90.	πῖνε				θυμόν. 2. ἀσηθῆς.			
991—92.						ἀνιήσεαι.	ἄλλοτε ἔρδων	
993—96.	καλὸν ἄνθος ἔχων. 2.			ἆθλον		σοφίης. 1.	ἐν μέσσῳ.	
997—1002.					θυμός		μέσσατον.	ἵππους.
1003—6.				ξυνόν. ἄεθλον. 1.		ἀνδρὶ σοφῷ		

1007—12.	ἀγλαὸν	ἄνθος ἔχ. 1.	ξυνόν.		Θανάτον.		γῆρας. 1.	κεφαλῆς ἅπτεται. 1.
1013—16.	νόον. 2.			ἐχθρούς. 1. ἄθλων Ἀΐδεω δῶμα				
1017—22.		ἄνθος ὁμηλικίης.					γῆρας.	ὑπὲρ κεφαλῆς ὑπερκρέμαται.
1023—24.				ἐχθροῖσι				ἔπεστι κάρη.
1025—26.	νόον.			δειλοί. 1.	κακότητι πρήξιες.		Κύρνε. 1.	
1027—28.		ῥηϊδίη.	χαλεπή. 1.		πρῆξις	κακότητος.		
1029—36.		οὐ ῥηϊδίως.		δειλῶν 1.	ἀπρήκτοισιν ἐργ. κακοῖσι		Κύρνε	
1037—38.			χαλεπώτατον.					
codd.: 853—54.				δειλοῖς.				
1039—40.		πίνουσ'.		ἄφρονες καὶ νήπιοι. 9				
1041—42.		πίνωμεν. 1.		τερπόμενοι. 2.				
1043—44.	εὕδωμεν							
1045—46.	εὗδε	κῶμον						
1047—48.		πίνοντες		τερπώμεθα.	καλὰ λέγοντες.			
1049—50.		ἐν θυμῷ καὶ φρεσί.			ἐσθλὰ ὑποθήσομαι			
1051—54.		σῇ φρενί. 1. θυμός.						
1055—58.				αὔλει. 1.				
1059—62.		ὀργήν. 3.	πλούτῳ.					
1063—68.	ἥβη.		πλοῦτος κωμάζοντα μετ' αὐλητῆρος.					
1069—70.	ἥβης.			ἄφρονες ἄνθρωποι καὶ νήπιοι				
codd.: 877—78.	ἥβα.		ἄλλοι.					
1071—74.		ὀργήν.	ἀλλοῖος.		σοφίη.			
ex Nietzschii coniect: 873—6.		αἰνῶ.	μέμφομαι. 1.		σοφίης			
1075—78.					τελευτήν. 5.			
1079—80.		μωμήσομαι αἰνήσω. 3.				ἐσθλόν. φίλον. 4.		
1081—82.	ἡγεμόνα							
codd.: 41—42.	ἡγεμόνες							
codd.: 87—90.		νόον ἔχε						
codd. A O: 93—4.			ἐπαινήσῃ					
1083—84.		νόημα ἔχειν.			ἐς τέλος.	ἐσθλόν φίλῳ 1.		
1085—86. ?								
1087—90.						φίλῳ		
1091—94.	γιγνώσκων					φιλεῖν		
1095—96.								
1097—1100.	γνώσῃ					φιλότητος		
ex Nietzsch. coni.: 851—2.			(ἐξολέσειεν)					
1101—2.						φιλίην 3.		
1103—4. ?			(ἀπολεῖ)					
codd.: 571—72.	πεῖρα.							

1105—6. βάσανον.
1107—8. δεινὰ παθών. 5. φίλοισι
1109—14. ?
codd.: 619—20. πενίης.
1115—16. χρήματ᾽ ἔχων πενίην. 3. θεοῖσι
1117—18. Πλοῦτε θεῶν
1119—22. πλούτῳ κακῶν ἥβης. κακῶν ἔκτοσθεν. 5.
1123—28. κακῶν. πέπονθα
1129—32. ὀλοφύρομαι πενίης. ἐπιλείπει. 1.
1133—34. παροῦσι φίλοισι. 1.
1135—50. ἔλιπον
1151—52. παρεόντα φίλον
1153—54. πλουτεῦντι. εἴη μοι ζώειν μηδὲν ἔχοντι κακόν. κακῶν ἀπάτερθεν
1155—56. πλουτεῖν ἐμοὶ εἴη ζῆν μηδὲν ἔχοντι κακόν. ἔραμαι.
1157—60. πλοῦτος ἔραται
1161—62. θησαυρόν. ἀγαθοῖς. 3.
1163—64. γλῶσσα
codd.: 95—100. γλώσσῃ ἑταῖρος
codd.: 415—18. ἑταῖρον. 2.
1165—66. Τοῖς ἀγαθοῖς
1167—68. Τῶν ἀγαθῶν κακῶν ἔργα. 2.
1169—70. καχεταιρίης. γνώσῃ. ἀθανάτους.
1171—76. Κύρνε πείρατα ἔχει. γνώμην. θεοί.
1177—78. Κύρνε. 1. πεῖραν ἔχοις ἔργων. 1.
codd.: 555—6. πρὸς θεῶν.
1179—80. Κύρνε θεούς. ἔρδειν.
1181—82. πρὸς θεῶν. 3. τύραννον 6.
codd.: 367—8. νόον
1183—84. νοῦς
1185—86. Κύρνε. 3. Οὐδένα.
1187—90. θάνατον. Οὔτις. θεός.
1191—94. θανόντι. Οὐκ.
1195—96. θεούς,
1197—1202 Πολυπαΐδη βοώσης
1203—6. τεθνηότος. κεκλήσεται. δάκρυα. 3. τύραννος.
1207—8. ἀπερύκομεν. καλοῦμεν.
1209—10. ἀπερυκόμενος. πόλιν.
1211—16. Μή. πόλις.
1217—18. Μή. Κύρνε. κλαίοντι.
1219—20. Κύρνε.

Nunc quoniam, quaecunque ad rem, de qua agimus, possunt referri, ex universo libro praeter carmina amatoria, ut nobis propositum erat, excerpsimus et collecta oculis subiecimus, sequitur, ut breviter complectamur animoque reputemus, quid ea collectione efficiatur ad naturam condicionemque libri cognoscendam. Itaque cum 1220 versus, de quibus quaestionem instituimus, in 345 carmina diviserimus, videmus cum proxime antecedentibus conexa esse 186, omnia fere paribus, pauca similibus verbis, ex 48 autem carminibus, quae carent coniunctione cum antecedentibus, 29 pertinere ad insequentia, in 19 omne verborum vinculum desiderari. Quae denique reliqua sunt 111 carmina, ita cum praegressis sunt coniuncta, ut plerumque unum, rarius duo, aliquoties plura carmina interposita sint, admodum raro etiam unum nomen Polypaïdae aut Cyrni pro vinculo videatur habendum esse. Nonnullis locis tenue verborum vinculum paritate aut similitudine sententiae firmatur. Sunt denique ii loci, quibus cum paria vocabula non desint, sed spatiis solito amplioribus dirimantur, statuendum videatur pristinum ordinem esse deletum et versus disiectos nec tamen ita longe a suis locis remotos, ut adhuc remaneant notae veteris propinquitatis valde conspicuae. Ergo in nulla fere libri parte inveniuntur compluria deinceps carmina, a quibus colligatio parium verborum plane absit, maxima pars plus binis aut ternis verbis adeo inter se nexa et colligata est, ut statuere temere aut nullo consilio id factum esse, id ipsum videatur temeritatis et nullius consilii esse. Jam ne illud quidem licet dicere, quod Fritzschius voluit, fuisse eum ordinem in eo codice, qui maxime adhibitus sit ad constituendam nostram collectionem et inde huc transiisse. Stat hic ordo in hac nostra collectione, quamvis nonnusquam nescio quo casu obliteratus et obscuratus, etsi non ubique tam simplici, tam perspicuae legi adstrictus, quam supra allatis formulis Nietzschianis ante oculos posuimus. Quod cur non ita sit, ut desideramus, num accusemus eius, qui hunc librum collegit, incuriam et indiligentiam, num ad librariorum aliquod consilium aut neglegentiam sit referendum, non facile potest dici, cum de variis casibus nostri libri nihil sit traditum.

Certe possunt animo fingi multae et variae causae. Atque Nietzschius quidem neglectae legis ordinisque interrupti causam confert in praetermissos a librariis versus repetitos. Quod quamquam non negamus interdum aliquid valuisse, praesertim cum in

codicibus mss. eius rei indicia satis multa occurrant, tamen veremur, ut hoc modo omnia expediantur et explanentur. Haud dubie relinquuntur nonnullae partes, ubi istud perfugium non detur, ubi facile intellegatur nihil intercidisse, sed tantum ordinem carminum esse mutatum et turbatum, ut v. 535—594, 635—692 et paene tota ea pars, quam Nietzschius praetermisit v. 261—418. Aliis locis idem sine causa mihi videtur posuisse ordinem interruptum, ut v. 129 — 145. V. 129—30 quidem vacare concedimus, sed hic non praetereundum est, quod ne eos quidem, qui antecedunt, esse integros omnes consentiunt, qui in hac re versati sunt. At, quae continuo sequuntur, tria carmina ordientia ab οὐδέν, οὐδείς, οὐδείς negemus inter se esse iuncta? At eandem coniungendi rationem valere saepius cognoscimus ut v. 131, 133, 143 Οὐδείς; 155, 159 Μήποτε; 309, 313 Ἐν μέν; 409, 411 Οὐδένα, Οὐδενός; 419, 421 Πολλά, Πολλοῖς; 535, 537, 539 Οὔποτε, Οὔτε, Οὗτος; 579, 581 Ἐχθαίρω; 611, 615, 617 Οὐ, Οὐδένα, Οὔτις; 687, 689 Οὐκ ἔστιν, Οὐ χρή; 1165, 1167 Τοῖς ἀγαθοῖς, Τῶν ἀγαθῶν; 1185, 1187, 1191 Οὐδένα, Οὔτις, Οὐκ; 1211, 1217 Μή. Nam si ullus, certe primus cuiusque carminis locus, quippe qui maxime sit conspicuus, maxime idoneus est ad efficiendam iuncturam. In quo tanta vis est, ut nonnunquam, si alia desunt una litera legi satisfiat, ut v. 619, 621, 623 litera Π; 625, 627 litera Α; 825, 831, 833 litera Π. Nec tamen haec, si cui minus persuaserint, quae modo disseruimus, pro certis affirmaverim; sunt sane multis numeris dubia atque incerta.

Sed hic alia res videtur expedienda esse, quam supra quasi praetereuntes attigimus, dicentes non tam simplici legi hunc ordinem adstrictum esse, quam nos ad Nietzschii exemplum in initio huius partis dissertationis duabus formulis indicavimus. Sunt quaedam libri partes valde conspicuae non modo verborum parium sed etiam sententiarum abundantia, ut 1—192, 315—452, 661—686, 731—800, 973—1036. Ubi quasi admissi in officinam eius, a quo nostra collectio profecta est, nostris oculis cernere nobis videmur, qua ille ratione, qua via in coartando opere sit usus. Eum enim collecta tota libri materia cum maior esset, quam ut uno conspectu comprehendi posset, verisimile est ad singulas partes in ordinem redigendas se contulisse. Et in ipsis illis partibus res ita ferebat, ut initio copia verborum et sententiarum suppeditaret, progrediente autem opere paulatim deficeret.

Hanc interdum fuisse causam lacunarum aut infirmioris et solutioris copulae facile intellegitur. Quae quantum valuerit, non potest dici, cum alias quoque causas eiusdem rei fuisse appareat.

Ordinem certe quendam et consilii aliquid inesse in hac collectione vidimus, sequitur ut explicemus, unde ea sit petita. Mirum est quibusdam huius libri locis multos deinceps elegos inveniri, qui in eadem re versentur. In promptu est conicere illis locis antiqui libri ordinem integriorem esse servatum. Cave autem statuas totam hanc syllogen profectam esse ex libro disposito argumentis. Nam ita haud dubie hodieque vetus ordo magis appareret, cum ad servandam et explendam novam legem nulla aut levissima elegorum mutatio et translocatio opus fuisset. Ut de amicitia qui sunt elegi, qui hodie per totum librum dispersi leguntur, nihil fuisset cur dirimerentur, cum unum verbum φίλος aut φιλία aut ἑταῖρος etc. ad coniungenda carmina satis fuisset. Nec tamen, quod et de amicitia et de potentia deorum hominumque imbecillitate compluria deinceps carmina exstant, plane neglectum volo: est mihi illud indicio, fuisse olim Theognidea argumentis in ordinem redacta, quae, cum nostra collectio conderetur, iam non integra fuerint. Exiguas autem eas partes, quae minus laesae ad illa tempora manserint, ita adhibitas esse censeam, ut in eis tamquam fundamentis totius libri, collectis et additis eis, quae a scriptoribus Theognidis nomine afferentur, nova sylloge condita et constructa sit. Ita nobis videmur facillime et simpliciter explicasse, quod adhuc apud neminem veterum scriptorum Theognidea sunt inventa, quae non in hac sylloge exstent; eodem modo non difficile est ad intellegendum, cur modo series carminum eiusdem argumenti inveniatur modo diversa inter se excipiant.

Idem confirmatur eo, quod nonnulla exstant eiusmodi, ut appareat contaminata esse ex pluribus locis. Facile enim potuit accidere, ut memoriae lapsu aut de alia causa a scriptoribus tum aliena pro Theognideis afferrentur, tum aliena Theognideis insererentur, tum Theognidea non satis accurate, sed mutatis aut paucis verbis aut totis sententiis, nonnunquam fortasse de industria deflexa in suum quisque usum proferrentur. Quo fiebat, ut, qui loci initio iidem fuerant, diversi esse viderentur in collectioneque bis ponerentur. Cuius rei exempla in Theognideis compluria invenias ut v. 40 collatus cum v. 1082, v. 57—60 coll. c. v. 1109 — 14, v. 575 seq. coll. c. v. 861, 579—80 coll. c. 863 seq.

Haec quidem hactenus de ratione, qua nostram collectionem confectam esse putamus. Magna deinde quaestio est, quo tempore eam compositam censeamus. Atque de hac re magna dissensio est inter viros doctos. Cum enim Welckerus eam aevo, quod dicitur Byzantinorum, videatur tribuere, Bergkius[20]) haec dicit: „Ich glaube, im ersten Jahrhundert nach Christi Geburt oder im Anfange des zweiten ist unsere Sylloge entstanden. Athemäus wenigstens scheint nur unsere Sammlung zu kennen: was ich ein ander Mal genauer zu erweisen gedenke. Neben dieser Epitome mag sich immerhin der vollständige Theognis noch eine Zeitlang erhalten haben, ja er ist sogar sehr wahrscheinlich von späteren Diaskeuasten zur Vervollständigung der Gnomensammlung benutzt worden, gerieth aber im Laufe der Zeit ganz in Vergessenheit.“ Idem alio loco[21]) in eandem sententiam disserit haec: Stobaeus nihil nisi hanc collectionem novit, codice tantum usus magis integro; nec Athenaeus ipsa Theognidis carmina usurpasse videtur. Equidem censeo admodum antiquam esse hanc syllogen, quae cum in omnium esset manibus effecit, ut mature germana Theognidis carmina oblivione obruerentur.“ Atque Nietzschius quidem cum, quod Bergkio de Stobaeo videtur, non modo probet, sed ipse etiam novis argumentis confirmet, refellere illud de Athenaeo studet argumentis usus, ut mihi videtur, non ita firmis. Sed de hac re postea! Hic videamus, cur Stobaeo nihil nisi nostram syllogen in manibus fuisse censendum sit. Qua in re plane ea, quae Nietzschius disseruit,[22]) sequemur. Primum versus Solonis, qui male in nostrum librum delati sunt, a Stobaeo afferuntur lemmate inscripti Θεόγνιδος; deinde quo ordine reliquiae in hac collectione leguntur, eodem apud Stobaeum inveniuntur; tum id quod maximum est, aliquot verba, quae haud dubie ex genuinis commutata erant eo consilio, ut accommodarentur ad novam libri rationem, quae posita erat in paribus vocabulis carminum inter se excipientium, item commutata apud Stobaeum leguntur.[23]) Ergo non dubium est, quin Stobaeus hac nostra sylloge sit usus.

Idem de Cyrillo et Juliano negatur, quibus hanc collectionem ignotam fuisse Welckeri sententia nixus Nietzschius contendit.[24])

---

[20]) in Mus. Rhen. Nov. III p. 406.
[21]) in Poetarum lyricorum ed III p. 566.
[22]) l. l. p. 183 seq.
[23]) cf. v. 227—32 et 315—18.
[24]) l. l. p. 180 seq.

Sed videamus, quibus rationibus uterque utatur! Julianus[25]) quidem Theognidis mentionem facit in hunc modum: ὁ σοφώτατος Σολομὼν παρόμοιός ἐστι τῷ παρ' Ἕλλησι Φωκυλίδῃ ἢ Θεόγνιδι ἢ Ἰσοκράτει; πόθεν εἰ γοῦν παραβάλοις τὰς Ἰσοκράτους παραινέσεις ταῖς ἐκείνου παροιμίαις, εὕροις ἂν εὖ οἶδα τὸν τοῦ Θεοδώρου κρείττονα τοῦ σοφωτάτου βασιλέως. His allatis quo iure Nietzschius addat: „Julianus hätte den Theognis unmöglich in dieser Verbindung anführen können, wenn er zu besorgen gehabt hätte, dass man dem Theognis dasselbe zum Vorwurf machen könne, was er dem Salomo," equidem hercle non intellego.

Nam si quid est aut fuit in opere Theognideo, quod ei iure vitio daretur, illud iam pridem ab Athenaeo erat castigatum et reprehensum, quod ipsum ne eodem iure ab aliis illi obiceretur, certe tum erat metuendum Juliano, nisi spes erat homines grammaticos aucupesque syllabarum sua non lecturos esse. Quod autem tali metu eum vacasse manifestum est, illud indicio est non singula quaedam, quae in scriptis exstant, voluisse respici sed ipsum ingenium atque mores, quales, cum de vita neque literis quidquam ab antiquis mandatum esset, neque ab calumniosis atque infestis hominibus quidquam vitii aut probri illatum esset, ex summa ipsius carminum cognoscere liceat, nisi quis infestissimo ingenio ad ea legenda accesserit nimiumque tribuat paucissimis illis, quae a sanctitate vitae abhorrere videntur. Quid vero aliud ex versibus Theognidis, qui ad nostra tempora manserunt, colligi potest nisi eum fuisse insignem gravitate animi et integritate morum, vacasse vitiis atque intemperantia, qua certe laude Salomonis vita indigna fuit. An vero licet putare fuisse illis temporibus duo Theognideorum exempla inter se diversa, quorum unum Athenaeo fuerit in manibus a nostro haud admodum discrepans, alterum, quod severitati tantum studentem praebuerit Theognidem, longe diversum a nostro et idem solum notum Juliano et Cyrillo? Id quam sit absurdum, vix est, quod moneam. Multo probabilius putatur uterque non penitus percepisse Theognidem aut, cum talia scriberet, opus Theognideum non in manibus habuisse aut denique, id quod verisimillimum videtur, neuter id egisse, ut subtiliter atque accurate de Theognide iudicaret. Cui rei gravissimo sunt argumento, quae absurde et fastidiose de

[25]) p. 224 ed. Spanhem.

Theognide et Phocylide scripsit Cyrillus: „συγγεγράφασι δὲ καὶ αὐτοί (Φωκυλίδης et Θέογνις) χρηστομαθῆ ψιλὰ καὶ κεκομψευμένα ὁποῖά περ ἂν καὶ τίτθαι κορίοις καὶ μὴν καὶ παιδαγωγοὶ φαῖεν ἂν νουθετοῦντες τὰ μειράκια." Quod hic Cyrillus dicit Theognidea apta esse nutriculis et pueris pusillis, quis inde cum Nietzschio colligat alium atque nostrum librum Theognideum ei in manibus fuisse? Quis non videt, cum illud de nutriculis commemoraret, nihil aliud eum voluisse exprimere nisi nescio quid contemptionis atque fastidii? Qua in re cum ipsius haud dubie nihil interesset verum dicere, quid est, cur nos eius verbis tantum tribuamus? Et ipse Nietzschius mihi videtur suam argumentationem debilitare, cum affert, quae Cyrillus alio loco de fabulis deorum Graecorum dicit: ἃ καὶ τίτθαι φαῖεν ἂν ἴσως τὰ δυσπνοῦντα τῶν βρεφῶν εὖ μάλα κατακηλεῖν σπουδάζουσαι. Non magis hic quam illic licet eum verbo premere, cum talia usurpare consuevisse videatur. Ergo negamus quidquam colligi posse ex iis, quae Juliani aut Cyrilli scripserunt. Nam non dubium est, quin utrique in scribendo tantum adumbrata quaedam, non expressa Theognidis imago obversata sit, et omnino censeo, quae ita proferuntur non dedita opera, sed ut tempus et occasio fert, non ea esse ad vivum resecanda.

Sed si in Welckeri et Nietzschii partes transgressi concedimus neque Julianum neque Cyrillum hanc syllogen vidisse, quid tandem profecimus? Ne ita quidem omnia plana atque explicata sunt. Novis et multo maioribus implicamur difficultatibus, nedum illis auctoribus veterem libri condicionem, qualisque fuerit sylloge, cognoscamus. Superest enim testis, ut mihi quidem videtur, huius nostrae collectionis et gravissimus et aetate illis superior, Athenaeus. At idem a Nietzschio et Welckero testis adhibetur „formae libri a nostro perquam diversae." Sed antequam de horum sententia disseramus, audiamus ipsum! Scripta autem sunt apud eum[26]) haec: περὶ τούτων φησὶν Ἀρχέστρατος ὁ τῶν ὀψοφάγων Ἡσίοδος ἢ Θέογνις. ἦν δὲ καὶ ὁ Θέογνις περὶ ἡδυπάθειαν, ὡς αὐτὸς περὶ αὑτοῦ φησὶ διὰ τούτων. (sequuntur v. 997—1002) οὐδὲ τὸ παιδεραστεῖν ἀπαναίνεται ὁ σοφὸς οὗτος. λέγει γοῦν. (sequuntur v. 993—96). Ad quae cum Welckerus dicit;[27]) „perquam a nostro diversam fuisse istius libri formam, quia Athenaeus, qui id

[26]) VII p. 310 A.
[27]) Prolegg. p. LXXVI.

studiose semper agit, ut si qua labes esset in summorum virorum operibus moribusque, in lucem eam protrahat, in Theognide nihil habuisse videtur praeter v. 997—1002 et 993—96. Plura si adfuissent et quae melius probarent, Theognidem fuisse in voluptates pronum, his, puto, usus fuisset;“ Nietzschio quidem firmissimum et gravissimum argumentum videtur protulisse, mihi non videtur. Nam qui dicit: „plura si adfuissent, his usus fuisset,“ ponit voluisse Athenaeum multum esse in tractando et corripiendo libro Theognidis, quod vide ne mera sit opinio, quae firmis argumentis omnino careat. Et in hac nostra sylloge quid tandem inest, quod melius probet, Theognidem fuisse et intemperantem in potando et venereo puerorum amori deditum? Ubi inveniuntur, si discesseris a Musa puerili, quam hodie nemo puto, a Theognidis ingenio et moribus non alienam existimat — ubi igitur inveniuntur ea, quibus Athenaeus magis potuerit ostendere neque παιδεραστεῖν neque ἡδυπάθειαν eum respuisse, quam quibus est usus? Similia quamquam nonnullis locis occurrunt, tamen in eis ingenium tantum non triste, non spernens rerum humanarum iucunditates cernitur, immoderatum et libidinosum non apparet; sunt igitur ea mitiora quodammodo et leviora; quae gravia erant, attulit Athenaeus. Verum hi, cum propter Athenaeum vel inviti non possint non concedere versus saltem 993—1002 illius temporibus Theognidis nomen tulisse, reliqua, quae eiusdem aut similis sunt generis, eo vehementius negant et repugnant. Sic enim Nietzschius existimat, non modo hanc collectionem post Athenaei vel post Juliani et Cyrilli tempora conditam esse, sed etiam eum, qui illam condiderit, infestissimo consilio et invidia in Theognidem agitatum compilasse multorum et variorum scriptorum lascivias et quaecunque illius famae maculas adspergerent, congesta huic libro inseruisse, ut legimus apud eum[28]) hisce: „Theognis der Pädagog soll nach dieser Sammlung als ein Lebemann erscheinen, als Trinker, Liebhaber, auch Knabenliebhaber, als Vertreter einer schlaffen Moral, kurz behaftet mit allen den Fehlern, von denen der Pädagog frei sein soll.“ et apud eundem paulo infra[29]): Verse des Solon, des Tyrtäus, auch des Phokylides konnten sich schon früher unter dei Theognideischen eingeschlichen haben. Jene hat ein kleines Versehen in den Theognis gebracht, diese eine

---

[28]) l. c. p. 179.
[29]) l. c. p. 185 seq.

missgünstige Absicht. Folgende Verse also, . . . die den Genuss und die Freuden eines üppigen Lebens verherrlichen . . . möchte ich . . . . . . ohne Weiteres dem Mimnermus zurückerstatten: V. 567—70 etc. Vae capiti maledici et maligni hominis istius, quicunque fuit, si fuit, qui sanctissimi scriptoris imaginem pollueret et spurcaret! exsecramur cum Nietzschio. At huius, ut lenissime dicam, fiduciam, qua in rebus tam opinabilibus, tam dubiis utitur, quis hic non admiratur? Et quis est, cui eius ratiocinatio persuaserit? Neglectis enim eis, quae vere Athenaeus testatur, multa hic proferuntur eo vultu, quasi iam omnia plana sint et confessa. At si scripsit Theognis v. 993—96 et 997—1002, cur eundem negemus alia similia scripsisse? Illa si iam Athenaei temporibus in hoc libro inerant, cur non eodem pacto alia eiusdem generis? Relinquitur ergo, ut aut omnem auctoritatem Athenaeo derogemus — tum autem totius quaestionis fundamenta destruuntur; aut Athenaei auctoritate confisi nobis persuadeamus, aliena — si quidem licet haec aliena putare — cum mature subdita esse tum fuisse aetate Athenaei. Aut enim nihil nobis licet ex nostra sententia alienum iudicare a Theognide praeter ea, quae firma et certa auctoritate veterum scriptorum aliis tribuuntur, aut si quidquam, certe illa, quae ab Athenaeo afferuntur. Igitur ut sint aliena huic nostro libro Theognidis inserta, non dubium est, quin iam fuerint Athenaei temporibus, ex quo efficitur ut verisimillimum sit non absimilem nostro fuisse librum Athenaei. Porro ne illud quidem in eadem re spernendum censeo, quod, quae ille attulit, in nostris codicibus continuo inter se excipiunt, quo fit probabile iam Athenaeum continua ea legisse. An eum censemus, quae attulit ad probandum, quid sentiret de Theognide, ex diversis remotisque locis conquisivisse? Tum quam miro casu putamus postero tempore ea conflata esse! Eo sane magis admirabili, quod haec eadem lege, qua cetera, cum antecedentibus et cum insequentibus coniuncta tenentur. Nam vide paria verba:

989—92.	θυμόν.					
993—96.		ἆθλον.	ἐν μέσσῳ.	καλόν.	σοφίης.	καλὸν ἄνθος ἔχων
997—1002.	θυμός.		μέσσατον.			
1003—6.		ἄεθλον.		κάλλιστον.	ἀνδρὶ σοφῷ.	
1007—12.						ἀγλαὸν ἄνθος ἔχων.

Itaque ex hac lege, si modo aliquid ei est tribuendum, mirum

quantum firmitatis accedit eis, quae supra aliis usi rationibus contra Nietzschium disputavimus.

Jam dilutis et refutatis eis, quae Athenaeus de forma libri Theognidei testari putatur, prorsus nihili sunt, quae Julianus et Cyrillus memoriae prodidisse dicuntur. Quapropter originem nostrae collectionis quaerentibus nobis Athenaei aetate superata altius videtur repetendum esse et animus ad antiquiora tempora referendus. Ecce novus testis citatur Dio Chrysostomus, qui[30]) Alexandrum rogatum a patre, quid esset, quod solum e poetis Homerum legeret, inducit haec respondentem: τὰ μὲν οὖν ἄλλα ποιήματα ἔγωγε ἡγοῦμαι τὰ μὲν συμποτικὰ αὐτῶν, τὰ δὲ ἐρωτικά, τὰ δὲ ἐγκώμια ἀθλητῶν τε καὶ ἵππων νικώντων ὥσπερ δή τινα καὶ δημοτικὰ λέγοιτ' ἂν συμβουλεύοντα καὶ παραινοῦντα τοῖς πολλοῖς καὶ ἰδιώταις καθάπερ οἶμαι τὰ Φωκυλίδου καὶ Θεόγνιδος, ἀφ' ὧν τί ἂν ὠφεληθῆναι δύναιτο ἀνὴρ ἡμῖν ὅμοιος; Quis vero hinc cum Welckero concludat Theognidem omnino nulla amatoria atque convivalia carmina fecisse? Huc pertinent eadem, quae supra de Cyrillo et Juliano diximus, cum difficile sit credere singula illi, cum scriberet, obversata esse, non potius imaginem quandam Theognidis, quae animo inhaereret concepta ex uberrima copia sententiarum graviorum.

Allatis igitur et perpensis omnibus veterum scriptorum testimoniis, quae ad tempora huius collectionis pertinere putantur, ut paucis comprehendamus, quae assecuti sumus, haec sunt: Duo genera auctorum sunt discernenda, unum, quod eget subtilitate et perspicuitate, refert, quid vulgo antiquis temporibus homines de Theognide senserint. In quo genere habendi sunt Dio Chrysostomus, Julianus, Cyrillus, ex quibus nihil certi de temporibus, nihil de forma nostri libri colligi debet praeterquam quod etiam nos negamus, Musa puerilis si iam tunc priori elegorum parti (ἐλεγείων α') subiuncta fuisset, eorum quos nominavimus quemquam ita, ut vidimus, potuisse iudicare de Theognide. Inde quae praeterea eliciuntur, in arbitratu et coniectura posita neque ulla fide digna sunt. Ex altero genere, quod plana ac dilucida tradit, unus est Athenaeus, qui ut non minus quam ceteri testatur carmina amatoria se non novisse, ita certissimus auctor habendus est iam illis temporibus severis et gravibus sententiis levius quoddam et remissius vel lascivius genus elegorum intermixtum fuisse, formam

---

30) de Regn. orat. II.

igitur prioris libri partis non dissimilem fuisse nostrae; num autem eadem fuerit atque nostra, num illae lasciviae a Theognide ipso sint profectae, haec in medio et in controversia relinquenda sunt. Quo denique tempore nostra collectio orta sit, ex neutro genere auctorum concludi potest, nisi quod ante Athenaei et post Platonis tempora, cuius supra mentionem fecimus, eam conscriptam esse negare vix possumus.

Videamus nunc, quae aut qua forma libri Theognidei fuerit. Eam diversam fuisse a nostra iam supra vidimus; hic quaeretur, qualis fuerit. Neque desunt in hac re ut in ceteris, multae coniecturae et diversae doctorum hominum sententiae. Atque primum dubitatur de inscriptione totius operis. Cum enim poeta ipse sua poemata ἔπη generaliter nominet,[31]) in codicibus mss. ea inscripta sunt: Θεόγνιδος ἐλεγείων α' — ἐλεγείων β', cod. A; Θεόγνιδος γνῶμαι, cod. B, Θ. γνωμολογία, cod. H; Θεόγνιδος Μεγαρέως Σικελιώτου γνῶμαι ἐλεγειακαί, cod. C; similiter in reliquis. Quibus inscriptionibus pars graece pars latine etiam editores usi sunt praeter Welckerum, qui et universum librum reliquias et partes, in quas librum dissolvit, deinceps sic inscripsit: γνῶμαι πρὸς Κύρνον, γνῶμαι πρὸς Πολυπαΐδην, συμποτικά, ἐπιγράμματα, παρῳδίαι, παιδικὴ Μοῦσα. Qua in re quod a librorum auctoritate discesserit, vehementer ei crimini vertit Graefenhan.[32]) Nec vero illud quidquam ad rem nostram. Multo pluris est, si quid de inscriptione libri ab antiquis traditum est.

Atque hic testis affertur certe gravissimus, si modo recte affertur, Plato, apud quem haec scripta sunt:[33])

Σωκρ. οἶσθα δὲ ὅτι οὐ μόνον σοί τε καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς πολιτικοῖς τοῦτο δοκεῖ τότε μὲν διδακτόν, τότε δ᾽οὔ, ἀλλὰ καὶ Θέογνιν τὸν ποιητὴν οἶσθ᾽ ὅτι ταὐτά λέγει;

Μεν. ἐν ποίοις ἔπεσιν;

Σωκρ. ἐν τοῖς ἐλεγείοις, οὗ λέγει·

καὶ παρὰ τοῖσιν πῖνε καί ἔσθιε καὶ μετὰ τοῖσιν
ἵζε καὶ ἅνδανε τοῖς ὧν μεγάλη δύναμις[34])
οἶσθ᾽ ὅτι ἐν τούτοις μὲν ὡς διδακτοῦ οὔσης τῆς ἀρετῆς λέγει;

Μεν. φαίνεταί γε.

---

31) v. 20. 22. 705.
32) Theognis Theognideus. Mulhusae. 1827.
33) Meno p. 95 C.
34) Theogn. v. 31. seqq.

Σωκρ. ἐν ἄλλοις δέ γε ὀλίγον μεταβάς εἰ δ'ἦν ποιητόν, φησί, καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα, λέγει πως ὅτι πολλοὺς ἂν μισθοὺς καὶ μεγάλους ἔφερον οἱ δυνάμενοι τοῦτο ποιεῖν[35]) κτλ.

De quibus cum nemo copiosius et fusius disseruerit Leutschio, non alienum videtur ab instituto nostro primum breviter exponere, quae ille hinc collegit, deinde adiungere quae nobis videntur. Quae autem apud Leutschium compluribus locis[36]) leguntur, sub uno aspectu posita haec sunt:

1. Fuisse Platonis temporibus librum Theognideum, qui inscriptus esset ἐλεγεῖα.
2. Eum librum discernendum esse ab altero eiusdem auctoris, qui vulgo (auctore Suida) γνωμολογία πρὸς Κύρνον nominetur, ab ipso autem ὑποθῆκαι inscriptus sit, quod intellegatur ex verbo ὑποθήσομαι (v. 27).
3. Librum illum ἐλεγείων varia carmina complexum esse, quorum singulis sua et propria argumenta essent, diversa a vicinis.
4. In eodem paulo post v. 38 scriptum fuisse v. 434.
5. Quomodo in publicum scripta sua ediderit Theognis vel hoc Leutschius expedit putans sententias tum plures tum pauciores, cum viva voce recitata essent, ab ipso collectas et in libelli formam redactas, prodiisse.
6. Denique ne illud quidem relinquitur ab eo, qui ordo carminum in illis libellis fuerit. Sed hic audiamus ipsum:[37]) Es folgten sich Gnomen veschiedenen Umfangs bald dialogisch, bald einzeln; sie wurden unterbrochen durch grössere Elegien, bald an Götter gerichtete, bald an Freunde, bald ohne irgend eine Apostrophe: Auf solche Masse konnten wieder kleinere folgen, ebenso wie vorher geordnet (an legamus ungeordnet?) oder in einer anderen Weise, auf diese dann grössere u. s. f. Habes, puto, imaginem istius libri luce clariorem, sed luce, vereor, nebulis offusa. Nam pro his, quae ille collegit, ex natura et condicione versuum, qui in nostro libro inter Platonicos illos locos interpositi sunt, nonne melius fuit, uno verbo totam rem absolvere libereque profiteri nullum omnino ordinem in eiusmodi libello fuisse aut certe intellegi non posse? Qui enim hic carminum ordo ad exemplum versuum, quos diximus, a Leutschio profertur et describitur, quis est, qui in eo ullam

35) Theogn. 435. seqq.
36) Philolog. 29, 522, 523. 30, 220 seq.
37) l. c. 30, 221.

rationem cognoscat, nisi forte casus et temeritas pro summa lege habetur?

Sed id fere accidit ei, qui omnia studet explicare, ut nihil explicet. Verum ut animum conferamus ad consideranda omnia, quae Leutschius maxime ex illo loco Platonis collegit, manifestum est ea stare non posse, nisi haec tria, in quibus tota eius disputatio posita est, tenentur: Primum a Platone quae afferuntur, ne in aliam, atque ille voluit, sententiam accipiantur. Deinde genuinum et veterem ordinem si non universi libri certe quarundum partium hodieque integriorem esse, quam vulgo adhuc existimetur. Tum paribus similibusve verbis aut denique ulla sententiarum aut versuum similitudine carmina inter se conexa non esse. Haec tria qui probat, cetera, quae in hanc sententiam ille disseruit, non potest improbare. Sed ut ab eo ordiamur, quod extremum posuimus, supra pluribus satis dilucide demonstrasse nobis videmur, eiusmodi carminum vinculum a nulla fere libri parte abesse. Deinde quod in secundo loco posuimus, illud nihil est nisi opinio, quam veram esse nullis argumentis, quae quidem a veterum auctoritate petiveris, evincas. Venio nunc ad illud, in quo tamquam in fundamentis tota disputatio posita est. Multa insunt in eis, quae apud Platonem leguntur, quae dubitationem habeant. Primum illud ὀλίγον μεταβάς, quod iam supra commemoravimus et inde conclusimus inter v. 31 et v. 429 quondam minorem versuum numerum fuisse quam hodie, quibus finibus contineatur, difficile est ad constituendum. Si negatur ad quadringentos versus spectare, quot nunc habemus, idem nonne eodem pacto potest negari de ducentis versibus, quot vult Leutschius eiectis e medio omnibus versibus, qui Cyrni nomen prae se ferunt, et quot habet Welckerus in editione sua? Porro cum Socrates interrogatus a Menone ἐν ποίοις ἔπεσιν; respondeat ἐν τοῖς ἐλεγείος, videtur Leutschio et ἔπεσιν, quod Meno usurpavit, in generalem sententiam accepisse pro libro, carminibus, versibus et voce ἐλεγείοις ipse singularem Theognidis librum, qui animo obversaretur significasse; ex quo effici, aliquem librum Theognideum inscriptum fuisse ἐλεγεῖα, et quidem, cum duo illi loci, quibus Plato utatur, Cyrni nomine careant, ea carmina, quae non fuerint in gnomologia. Haec, quae versantur in interpretando Platonis loco, posse se habere sic, ut vult Leutschius, libenter concedimus, illud quoque addimus non posse nos quidem ea firmis argumentis refellere

et refutare; verum persuasum nobis nullo modo est. Nam qui possumus adduci, ut credamus, cum Meno quaereret ἐν ποίοις ἔπεσιν, Socratem intellexisse: in quibus carminibus? Cur non id quod proprie ea verba significant: in qualibus versibus h. e. qualia sunt ista carmina quae dicis, vel in quibus Theognidem istud contendere dicis? Ad quod bene Socrates: Quid tu istud quaeris? nempe in elegiacis suis versibus. Voce autem et vultu facile potuit Socratis ignorantiam hominis reprehendere, ut etiam hoc dixerit: ecqua alia nosti carmina? Praeclare enim mihi videntur inter se convenire et quod Meno interrogat: ἐν ποίοις; h. e. in qualibus poematis? — non igitur eorum inscriptionem, sed numeros quaerens — et quod Socrates voce ἐλεγεῖα utitur, quae vulgo ad numeros spectat.

Deinceps aliud in dubitationem venit vel potius parum videtur probabile esse, quod vult Leutschius unum librum propter numeros inscriptum fuisse ἐλεγεῖα, alterum ex carminum argumentis ὑποθῆκαι. Contra quod haec sunt consideranda. Neque Leutschius, inventor duorum librorum, pro certo potest affirmare, quae carmina huius, quae illius libri fuerint, praeterquam quod Cyrni nomen quae prae se ferant carmina, in gnomologia fuisse censet, nec tamen ea sola, sed additis etiam iis, quae continuo sequantur aut proxime antecedant; sed ne ita quidem, credo, omnia, nisi quae argumenti communitas intercedit; — hinc licet videre, quam incerta res ipsi inventori sit. Et una atque consentiens vox est antiquitatis, sententias — γνώμας, γνωμολογίας (Plut.) — scripsisse Theognidem, de duobus autem libris nihil constat. At Suidas Leutschio videtur vera referre de Theognidis libris et aperte duo libros discernere. Ne hoc quidem nos concedimus. Quin inspiciamus, quae apud Suidam s. v. Θέογνις leguntur:

Θέογνις . . . ἔγραψεν.

1. ἐλεγείαν εἰς τοὺς σωθέντας τῶν Συρακοσίων ἐν τῇ πολιορκίᾳ.[38])
2. γνώμας δι' ἐλεγείας εἰς ἔπη βω'.
   a. καὶ πρὸς Κύρνον τὸν αὑτοῦ ἐρώμενον γνωμολογίαν δι' ἐλεγείων,
   b. καὶ ἑτέρας ὑποθήκας παραινετικάς,

τὰ πάντα ἔπη βως'.[39])

[38]) De qua elegia cum nihil ab antiquis sit traditum, nihil ex ea sit servatum, satis est eos hic enumerare, qui pluribus disseruerunt: Welcker Prolegg. XV. Nietzsche l. c. 198 seq. v. Leutsch. l. c. XXX, 207.

[39]) vulgo ἐπικῶς; scripsimus ex Schoemanni coniectura.

Haec quomodo intellegi nos velimus, verborum distributione indicavimus. Ex duobus autem libris ea conscripta esse hodie nemo fere negat.[40]) Verum cum haec Suidas non sine aliquo iudicio conscriberet, quod intellegitur ex eis, quae addit: καὶ παραινέσεις μὲν ἔγραψε Θ. κτλ, quae supra attulimus, sed aperte ea scribens Theognidis librum in manibus haberet: licet animum inducere, inde a verbis καὶ πρὸς Κύρνον κτλ. sua eum addidisse et, cum in calce adiceret τὰ πάντα βως´ — sive quem alium numerum ex voce ἐπικῶς conicere malis — summam fecisse omnium Theognideorum, et ἐλεγ. εἰς τ. σωθ. τ. Συρ. et γνώμας δι' ἐλεγ. computantem: priore autem numero βω' eorum versuum rationem instituisse, quos nos sub signis a et b posuimus. Ita cum ex hoc priore numero sequatur Suidae unum librum in manibus fuisse cuius argumenta describit ipse dividens in γνωμολογίαν πρ. Κ. et ἑτέρας ὑποθήκας παραιν., tum hodie si quis Theognidis unum librum, quem nos habemus, breviter et accurate velit describere, non ego video, cur id non simillime atque Suidas instituat, carmina per genus (γνώμας) et per partes (a. πρ. Κ. γνωμολογίαν b. ἑτέρ. ὑποθήκας) persequens. Neutiquam igitur licet Suidam ut duorum librorum auctorem afferre. Idem confirmatur Plutarchi testimonio, qui gnomologias tantum Theognidis novit, quod vocabulum apud eum idem valet atque γνῶμαι.[41]) Ergo non adeo permovemur Leutschii disputatione, ut ab sententia, qua hodieque vulgaris est, discedamus, qua Theognis putatur unum opus condidisse.

Accedit, quod ne illud quidem, unde proficiscitur Leutschii argumentatio, cum duos libros discernit eaque carmina, quibus Cyrnus compellatur, uni libro adscribit, alteri autem ea, quibus hoc nomen abest — ne hoc quidem dico esse certum et exploratum. Versus enim 31—38, quamvis careant illo nomine, ex quo omnis haec quaestio pendet, adeo similes sunt sententia et ipso sono eorum, qui proxime antecedunt, ut non facile tibi persuadeatur alium his admoneri atque antecedentibus. Quare Bergkius[42]) haec tria fragmenta inde a v. 19 usque ad v. 38 eiusdem elegiae fuisse censet, quae prooemii locum obtinuerit, cuius elegiae epilogus sit v. 31—38. Hoc si placet, eo magis omnis distinctio duorum librorum nihili est. Et ut fundamentis subductis totum

---

[40]) De qua re vide, quae Nietzschius l. l. disseruit.

[41]) cf. Plut. de aud. poet. 2. Thes. 3. al.

[42]) l. c. adv. 27.

aedificium corruit, ita in hac re, si Bergkio assentimur, omnia, quae Leutschius summa subtilitate coniecit, concidunt.

Nec tamen, cum haec contra Leutschii sententiam disserimus, nos fugit apparere quaedam vestigia in nostro libro, quibus nos eodem, quo ille pervenit usus Platonico loco, adducimur, ut putemus, olim duos diversos et separatos libros Theognideos fuisse. Cui enim in legendo nostro libello non mirum videtur, quod in aliquot paginis nostrarum editionum Cyrni sive Polypaïdae nomen creberrimum est, in aliis rarum, in aliis denique non legitur, ut p. 51 Bergkii anthologiae lyricae septies Κύρνε, p. 41 quater Κύρνε et bis Πολυπαΐδη, p. 45 quinquies Κύρνε et semel Πολυπ. legitur, cum p. 55—58, 60—63, 65—68 neutrum nomen occurrat. Quod qui melius potest explicari, quam si statuimus, fuisse olim librum Theognideum, cuius fere singula carmina Cyrni nomen prae se ferrent. Id confirmatur eo, quod Leutschius animadvertit in his carminibus, quae Cyrni nomine sunt insignita, legentem nunquam oblivisci, senem poetam loqui, cum aliis carminibus levia et iuvenilia non admodum pauca sint intermixta. Sed quamvis haec non spernenda videantur, tamen, quae non minoris momenti sint, multa ex altera parte obstant, quominus ea pro certis habeamus. Sunt enim non minus multa carmina, quae vacantia illo nomine et senis poetae videntur esse et eiusdem generis sunt suasorii et vice versa. Itaque sive in hanc sive in illam sententiam discedimus, semper multis difficultatibus implicamur, ex quibus qua ratione expediamur, nisi nova literarum subsidia inveniuntur, equidem non intellego.

Nunc quoniam indicavimus, quae incerta et dubia sint in Leutschii sententia, iam videtur acquiescendum in eis, quae probabilia sunt, cum in praesentia omnem hanc rem ad liquidum confessumque adduci posse desperemus.

Restat ex antiquis scriptoribus testis non uno in genere spectabilis, Xenophon sive Antisthenes,[43]) ex quo Stobaeus 88, 14 haec affert: Θεόγνιδός ἐστιν ἔπη τοῦ Μεγαρέως. Οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων καὶ ἔστιν ἡ ποίησις σύγγραμμα περὶ ἀνθρώπων, ὥσπερ εἴ τις ἱππικὸς ὢν συγγράψειεν περὶ ἱππικῆς. Ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν. ἄρχεται γὰρ πρῶτον ἀπὸ τοῦ εὖ γενέσθαι. ᾤετο γὰρ οὔτε ἀνθρώπων οὔτε τῶν ἄλλων οὐδὲν ἂν ἀγαθὸν

[43]) ut Bergk. coniecit ed. III p. 497.

εἶναι, εἰ μὴ τὰ γεννήσαντα ἀγαθὰ εἴη. Ἔδοξεν αὐτῷ παραδείγμασι τοῖς ἄλλοις ζώοις χρήσασθαι, ὅσα μὴ εἰκῇ τρέφεται, ἀλλὰ μετὰ τέχνης ἕκαστα θεραπεύεται, ὅπως γενναιότατα ἔσονται. Δηλοῖ δ' ἐν τοῖσδε τοῖς ἔπεσιν. Κριοὺς μὲν κτλ. (v. 183—90.)

Ταῦτα τὰ ἔπη λέγει τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἐπίστασθαι γεννᾶν ἐξ ἀλλήλων, κᾆτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι. Οἱ δὲ πολλοὶ ἐκ τούτων τῶν ἐπῶν οἴονται τὸν ποιητὴν πολοπραγμοσύνην τῶν ἀνθρώπων κατηγορεῖν, καὶ ἀντὶ χρημάτων ἀγένειαν καὶ κακίαν ἀντικαταλλάττεσθαι εἰδότας, ἐμοὶ δὲ δοκεῖ ἄγνοιαν κατηγορεῖν περὶ τὸν αὐτῶν βίον.

Primum hic opus est paucis absolvere, quod supra diximus eis, quae modo ex Stobaeo attulimus, declarari iam antiquis temporibus Polypaïdae et Cyrni nomina in iisdem aut vicinis carminibus scripta fuisse, unde efficiatur iam tunc haec nomina unius hominis habita esse. Cum enim ille, sive Xenophon sive Antisthenes sive etiam aliquis Socraticus philosophus, allatis Theognidis versibus 183—90 dicit: ταῦτα τὰ ἔπη λέγει τοὺς ἀνθρώπους οὐκ ἐπίστασθαι γεννᾶν ἐξ ἀλλήλων, brevi comprehendit, quid sibi poeta omni carmine videatur secutus esse; cum vero addit: κᾆτα γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων κάκιον ἀεὶ μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι, eundem apparet respexisse, quae apud Theognidem versus allatos continuo sequuntur (v. 191—2):

οὕτω μὴ θαύμαζε γένος, Πολυπαΐδη, ἀστῶν
μαυροῦσθαι σὺν γὰρ μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς.

Nam quod poeta dixerat γένος ἀστῶν μαυροῦσθαι, ille aperte explicat sic: γίγνεσθαι τὸ γένος τῶν ἀνθρ. κάκιον; causa adicitur apud hunc: μιγνύμενον τὸ χεῖρον τῷ βελτίονι, apud poetam: μίσγεται ἐσθλὰ κακοῖς.

Sed revertamur ad rem propositam! Formae igitur et constitutionis antiquae libri nostri incertus ille affertur testis. Et primum ille dicitur testari, a quibus versibus hic liber quondam exorsus sit. Hanc in sententiam, quae ille dicit: ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως κτλ et ἄρχεται γὰρ πρῶτον κτλ interpretantur Welcker,[44]) Schoemann,[45]) Bergk.;[46]) contradixit primus Graefen-

[44]) Prolegg. p. CIII: „Disticha quatuor, quae librum aperuisse fidem certissimam facit Xenophon etc."

[45]) l. c. „atque initium praeceptorum factum esse, ait (Xenophon) ab his versibus: *κριοὺς μὲν κτλ.*"

[46]) l. c. ed. III 497: „Itaque haec erat prima elegia, quae continuo excipiebat exordium (unde est v. 19—26.)"

han,[47]) qui Welckerum reprehendit et increpat, quod Xenophontis testimonio nisus illos versus in initio posuerit, hunc in modum: „Quasi hunc locum ignoraverit ille, quem Welckerus censet carmina Theognidea undique corrasisse et consarcinasse . . . . . Quasi auctorem poematis, quo tot materiae tamque variae tractarentur, commode atque digne verbis illis κριοὺς μὲν καὶ ὄνους omninoque ex singulari quadam gnoma, nisi a Diis et Musis exorsum esse Xenophon credere potuerit! (ἄρχεται πρῶτον.) Operis potius Theognidei sectiones, quarum iam supra a Brunckio, Bekkero aliisque nec sine vetustissimorum codicum auctoritate periculum factum esse laudavimus, confirmat. Itaque in tali aliqua sectione exorditur poeta etc.“ Apparet igitur omnem controversiam positam esse in interpretatione vocis ποίησις. Quae vox cum vulgo haud dubie omnem artem poeticam aut maius saltem poema ut Iliadem significet, paene inauditum et mirum videtur, si hoc loco dicitur ad decem versus spectare. Quod vult Leutschius; dicit[48]) enim: „Nach unserer Auffassung ist ἀρχὴ τῆς ποιήσεως der Anfang dieser Stelle κριοὺς μὲν κτλ., so dass ποίησις hier „Gedicht“ bedeutet.“ Quod eo mirabilius est, quia in hoc ipso loco ποίησις vocabulum aperte vulgari sensu paulo ante usurpatum est. Nam cum legimus οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων, quis hic dubitat, quin de omni Theognidis poesi iudicetur? Idem in controversiam vix potest venire, cum pergitur: καὶ ἔστιν ἡ ποίησις σύγγραμμα περὶ ἀνθρώπων ὥσπερ κτλ. Continuo autem post haec legenti ἡ οὖν ἀρχή μοι δοκεῖ τῆς ποιήσεως ὀρθῶς ἔχειν cui potest dubium esse eodem hic ποίησιν pertinere, quo antea? Neque vero haec difficultas fugit Leutschium. Quare hunc locum confusum esse contendit,[49]) quod vereor, ut cuiquam magis probaverit, quam cetera. Nam quis non videt ad haec eum decurrisse, ut tueretur, quae ex Platonis illo loco collegit?

Veniamus ad alterum quiddam. Idem Xenophon vel Antisthenes testis esse dicitur ab antiquo opere Theognideo abfuisse omnia, „quae a severitate vulgarium praeceptorum abhorrentia luxuriam et mollitiam spirant;“ nam cum ille dicat: οὗτος δὲ ὁ ποιητὴς περὶ οὐδενὸς ἄλλου λόγον πεποίηται ἢ περὶ ἀρετῆς καὶ

---

[47]) l. c. p. 24 seq.

[48]) l. c. 29, 521.

[49]) ibidem p. 519 seq.

κακίας ἀνθρώπων, formam libri respici diversam a nostro. Neque ego video, nisi omnis hic locus in suspicionem vocetur, quo alio modo hoc possit expediri. Sed quidquid huic loco auctoritatis tribuitur, certe non is est, ex quo, quae in Theognideis sint aliena et suppositicia, quae genuina, fas sit iudicare. Cum enim in crisi Theognidea duae sint viae, quibus ingrediantur viri docti, ut aut quam plurima eorum, quae Theognidis nomina servata sunt, retineant neque quidquam removeant, nisi apertis et dilucidis veterum testimoniis aliis tribuitur, aut omnia ad illud περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας ἀνθρώπων revocantes et perpendentes, quidquid repugnat, a Theognide abiudicent, hac via ubi primum insistere conatus est Welckerus, multi secuti sunt. Inter quos hoc interest, quod Welckerus satis habet, quae aliena putavit a Theognidis imagine, quam animo formaverat, segregare et reicere, recentiores autem qui huic rei operam dederunt, maiore audacia usi vel certos quosdam ex antiquis scriptoribus, quorum plerumque nihil fere nisi nomina novimus, elegerunt, quibus adscriberent, quae ex Theognidis libro removerant. Ita res eo iam deducta est a Bergkio et Hartungio, ut omnia in arbitrio et libidine sint sita.[50]) Neque id mirum; necesse est enim artem criticam, si proficiscitur a locis tam opinabilibus, in vaga atque incerta deferri. Sed nisi volumus imaginem Theognidis plane exstingui, magis magisque eius nomen ab historia ad fabulas transduci, oportet servare etiam ea, quae plena sunt vigoris, ubi ipse, quae sibi in vita acciderint significat, in quibus idem homo ira odio, benignitate amicitia commotus cernitur; quibus sublatis nihil nisi adumbrata quaedam imago severissimi molestique vitae et morum praeceptoris relinquitur.

Enitendum est igitur, ut, quae arte critica paulo insolentius grassante diffluxerunt, denuo firmentur animique revocentur ad sana iudicia, quae fieri non possunt, nisi ponuntur in recte intellectis eis, quae veteres scriptores memoriae prodiderunt, nisi abducuntur ab ambiguis coniecturis et opinionibus. Qua in re illud potissimum tenendum est, ne quis plura legat, quam ab auctore scripta sunt; quod in vitium Welckerum et Nietzschium incidisse ex eis cognoscitur, quae supra de Juliani et Cyrilli testimoniis disseruimus. Deinde ne quis praesumptam opinionem ad

---

[50]) In eandem sententiam disserit v. Leutsch l. l. 29, $_{690}$. Fritzsche ibidem p. 186. nota.

rem ambiguam afferat. Quod Bergkius mihi fecisse videtur,[51]) cum allatis eis, quae apud Isocratem[52]) leguntur, ex verbis hisce: Ἔτι δ' εἴ τις ἐκλέξειε τῶν προεχόντων ποιητῶν τὰς καλουμένας γνώμας concludit nondum talem syllogen tunc fuisse pergitque: „nihil prohibet, quominus existimemus non ita multo post in usum scholarum has eclogas ex poetis elegiacis factas esse.“ Nam cum hic ita concludit, ponit cogitatione, et syllogen esse nostrum librum et factam in usum scholarum, quorum illud nondum satis dilucide demonstratum est, hoc[53]) ne verisimile quidem est. Ceterum in hoc loco mirum est, quam diverse de eodem auctore viri docti, nisi omni abstinent studio et cupiditate, sentiant. Nam cum Bergkio Isocrates videatur auctor esse tunc nondum ullam syllogen fuisse, Welckero contrarium videtur testari. Is enim allatis eis, quae apud Isocratem proxime antecedunt, addit: „Videri potest . . . similem . . istius librum habuisse speciem, ac si Homeri aliorumque summorum poetarum gnomas excerptas et in unum collectas haberemus.“

Tandem aliquando emergimus ex angustiis illis locorum dubiorum et incertorum, et iam ad calcem pervenimus. Sed priusquam peroremus, non possumus, quin brevissime perstringamus, quod Nietzschius[54]) putat infestum consilium apparere in nostro libro. Ad quod comprobandum maxime parodiis utitur, de quibus accurate Welckerus egit;[55]) nonnulla autem hic addit, quae eiusdem existimat esse rationis. Repugnant autem, quominus putemus nostram collectionem a tali consilio profectam esse, haec: Primum, quod etiam seria ab aliis scriptoribus petita et huic libro inserta sunt, quod certe is, qui hanc collectionem fecisse dicitur id agens, ut de auctoritate Theognidis detraheret, omisisset. Deinde parodiae, quae inveniuntur in libro, parum conspicuae sunt, cum maximam partem tam longe absint a versibus, qui illuduntur, ut omnis earum vis tollatur. Denique per se non probabile est eum, qui carmina similitudine verborum et externa specie verborum disposuerit, tale quidquam reconditum et interius simul secutum esse.

---

[51]) p. 566 ed. III.

[52]) ad Nicocl. §. 43.

[53]) De hac re vide, quae Nietzschius disseruit l. c. p. 178 seq.

[54]) l. c. p. 179 seq.

[55]) Prolegg. p. LXXX. seqq.

Itaque cum hoc consilium inesse negemus, cum alia multa de nostro libro negaverimus; forsitan iure quaeratur, quid nobis videatur de consilio, de pristina forma, de temporibus libri. Sed quid coniecturas persequamur? Si quemquam, nos potissimum decet, qui id secuti sumus, ut ostenderemus multa dubia, multa ambigua esse in sententiis doctissimorum virorum, cavere, ne opinionum et coniecturarum molem augeamus.

Excursus.

Quem locum Theognis in republica obtinuerit.

Cum totus fere Theognis liber ad rem publicam spectet, quod primus dilucide demonstravit Welckerus, non alienum videtur a re proposita et non parvi momenti ad carmina recte intellegenda quaerere, quem ille locum in re publica Megarensi obtinuerit, fueritne unus de multis, qui, ut fere fit, commodorum similitudine inter se coniuncti alicuius, qui emineret ingenio et consilio, partes temere sequerentur, an is fuerit, qui ipse suum consilium ad rem publicam administrandam afferret et aliquid in civitate valeret.

Praemonendum autem videtur, quo melius appareat, qua ratione in hac quaestione instituenda utamur, complures locos huc pertinere, qui, si solum verba respicias, tam late pateant, ut aliquid de vita aut virtute praecipere videantur, sed si cum aliis similibus contuleris et quanam in re positi sint, qua animi affectione a poeta scripti sint, quae recondita sententia in iis lateat, perspicere studueris, certas res ibi respici, certos quosdam homines significari facile intelleges, etiamsi nomina non commemorentur. Cuius dissimulationis variae causae possunt cogitari: et interfuisse fortasse poetae, ut quam minime offenderet eos, penes quos tunc imperium erat, et interdum eum illud egisse, si quam rem non aperte, sed per ambages significasset, ut amicis consciis, qui legerent, quasi nodum quendam solvendum relinqueret, quo maiore afficerentur voluptate. Omnis haec res probabilior fit, si tenemus

non magis Theognidem quam ceteros, qui quidem in eodem carminum genere elaboraverint, Tyrtaeum, Callinum, Solonem delectandi animi aut artis exercendae causa carmina fecisse sed semper fere certum aliquid secutos esse omnem artem in vita et usu rerum et in re publica ponentes. Illud enim, opinor, iis persuasum erat, multo facilius sese, quo vellent, populum ducere posse dulcedine et blanditiis versuum, quam si pedestri oratione uterentur. At plane hoc in Theognidem non convenit, nam cum illi, quos modo nominavimus, magnam carminum partem, quae ad rem publicam pertinent, conscripserint elati et inflati conscientia vigentis gratiae popularis, hic quantum nos quidem videmus, aut vetera tempora accusat eorumque audaciam atque temeritatem, a quibus omnibus bonis et re familiari privatus sit, aut, ubi de re publica, qualis tum erat, mentionem facit et inimicissimum se ostendit eis, qui tum rebus Megarensibus praeerant, nec unquam quidquam populo persuadere studet, cum amissa, qua olim videtur floruisse, auctoritate iam nihil valeret. Et hac in re posita est magna intellectus difficultas, quia non quasi in foro ad universum populum verba facit, sed ad unum se convertit familiarem aliquem, et quia ea oratione, quae facilis esset ad intellegendum, uti nulla re cogebatur, vel ita confisus fore ut recte ab amicis intellegeretur. Magna ex parte illa obscuritas fortasse eo orationi immiscebatur, quod semper hominem vitae et rei publicae peritissimum gerebat, qui id potissimum ageret, ut ex tanta copia rerum, quas ipse expertus esset, aliis prodesset. Quo fit persaepe, ut quae obiter legenti laudem alicuius vertutis continere videntur, ea diligenter nobis quaerentibus optime in rem publicam convenire verisimile sit. Itaque cum hinc male ea intellegendi pericula immineant, non minora instant illinc; et nobis si forte acciderit, ut in iis, quae sequuntur, aliquando aberremus de recta via, iam antea oranda est venia; nihil enim facilius accidit, quam ut in tam incerta et dubia re opinione labamur.

Ac primum quidem ab administranda re publica et summis consiliis publicis eum non alienum fuisse ipsius certissimis verbis constat. Confirmatur autem primum his versibus (947 seq.):

Πατρίδα κοσμήσω, λιπαρὴν πόλιν, οὔτ᾽ ἐπὶ δήμῳ
τρέψας οὔτ᾽ ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος.

Quid haec sibi velint, quibus aperte indicatur, qua ille ratione et consilio in regenda re publica usurus sit, nisi putamus tum

temporis gubernacula rei publicae ei oblata esse? Nam „verbum κοσμεῖν h. l. non de celebranda et laudanda, sed de ordinanda civitate dici manifestum est, quo sensu etiam summos magistratus in nonnullis civitatibus κόσμους s. κοσμίους dictos esse nemo nescit."[56]) Eodem traho, quae proxime antecedunt (v. 945 seq.):

Εἶμι παρὰ στάθμην ὀρθὴν ὁδόν, οὐδετέρωσε
κλινόμενος· χρὴ γάρ μ' ἄρτια πάντα νοεῖν.

quos versus Weber[57]) ita explicat: „Die Stelle mögte von einem vorübergehenden Verhältniss des Dichters zu verstehen sein, wo ihn das Megarische Volk in der Bedrängniss innerlicher Unruhen zum Eriedensstifter und Vermittler angerufen, welche Rolle jedoch, wie aus dem gleich Folgenden erhellt, nur eine augenblickliche gewesen sein kann." Similes huic loco sunt versus 543 seq.:

Χρή με παρὰ στάθμην καὶ γνώμονα τήνδε δικάσσαι,
Κύρνε, δίκην, ἶσόν τ' ἀμφοτέροισι δόμεν . . . .

ubi aperte narrat ad suum arbitrium in aliqua causa maiore provocatum esse. Apparet autem, si hunc locum cum versibus 947 seqq. conferimus, illam δίκην nullam aliam esse, quam contentionem et discordiam civilem, quae tum fortasse primum inter nobiles sive optimates et plebeios nescio quo casu exarserat, cum hi id agerent, ut sibi cum illis conubium esset, et ut in iudicum numerum admitterentur. Haec autem ea fuisse, quae fautores rei publicae popularis vindicarent, elucet ex compluribus illis locis, quibus Theognis et mixta esse coniugia et ab hominibus plebeiis atque iuris civilis ignaris iudicia exerceri queritur, quo tempore illi, quae frustra per pacem appetere coeperant, iam per vim occupata tenebant. Atque Theognidem tum, cum illa scripsit, medium inter duas factiones stetisse neutri plane addictum et ipsum quoque ita arbitratum esse compluria a plebe suo iure postulari, nimirum dum ea quadam modestia coercerentur, manifestum est ipsius optimo studio et voluntate, qua aeque utrisque partibus favebat et qua, quantum in se situm esset, patriam sese restituturum sperabat. Idem intellegitur ex re ipsa, cum vix putandum sit cives cuiquam ex suo numero principatum delaturos fuisse, quem non omnibus aeque satisfacturum confidere possent. Nec vero illud unum sufficere ad tantum negotium subeundum et

---

56) Schoemann l. l. p. 30.

57) „Die elegischen Dichter der Hellenen nach ihren Ueberresten übersetzt und erläutert." Frankfurt a./M. 1826, p. 570.

cum omnium laude perficiendum, nisi alia quaedam accedant, per se liquet. Ea autem alia, quae in animo posita sunt, quin fuerint in Theognide, non dubitandum est, nisi forte a verbis, quae facit de virtutibus, quas ut colat Cyrnum admonere non desinit, vita abhorrebat. Summa enim iustitia et aequitate eum fuisse ex iis locis, quos supra attulimus, colligi potest, praecipue autem inde, quod tam saepe iustitiae, principis illius et matris virtutum, laudes praedicat. Quanta idem moderatione animi fuerit, quantum ab ira et studio factionum animum avocaverit, quanta iudicii integritate sit usus, optime apparet cum, suum ipsius exemplum ad imitandum proponens, Cyrnum admonet, ut caveat, ne alteras in domesticis turbis partes contra alteras adiuvet et ut semper mediam viam ingrediatur. Haec dicit verss. 219 seq.:

Μηδὲν ἄγαν ἄσχαλλε ταρασσομένων πολιητέων,
Κύρνε, μέσην δ᾽ ἔρχευ τὴν ὁδόν, ὥσπερ ἐγώ.

et verss. 331 seq.:

Ἥσυχος, ὥσπερ ἐγώ, μέσσην ὁδὸν ἔρχεο ποσσίν,
μηδ᾽ ἑτέροισι διδούς, Κύρνε, τὰ τῶν ἑτέρων.

Theognidi si contigisset, ut per longius tempus civitati praeesset, haud dubie res Megarenses denuo crescere, pacem et concordiam in civitate confirmari et stabiliri vidisset, cum, ut erat insignis iustitia atque aequitate et incensus summo patriae amore et praecipuo studio iuris et ordinis in patria restituendi, is fuisse videatur, qui non sua commoda sequeretur, sed civitatis inserviret utilitati. Nihilominus eius magistratum non diuturum fuisse ex ipso cognoscimus, cum quid in re publica perfecerit, illud quidem non comperiamus, paulo autem post rursus eum querentem inveniamus, se iam consilii esse inopem, quomodo id efficiat, ut omnibus civibus probetur. Ad illud autem tempus refero, quae dicit v. 367 seqq.:

Ἀστῶν δ᾽οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν᾽ ἔχουσιν·
οὔτε γὰρ εὖ ἕρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς·
μωμεῦνται δέ με πολλοί, ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,
μιμεῖσθαι δ᾽οὐδεὶς τῶν ἀσόφων δύναται.

Nam ne putemus his versibus — nisi melius alterum distichon a priore seiungitur, ut Welckerus facit in editione sua — significari eos, qui eius artem contemnebant, repugnant verba εὖ et κακῶς ἕρδων. Quorum illud εὖ ἕρδων potius referam ad ea, quae in brevi suo imperio ad sublevandam miseram plebis condicionem conabatur, quibus haud dubie odium nobilium suscepit,

cum illorum veterem dignitatem et principatum minuere videretur. Fieri quoque poterat, ut ne plebeiis quidem iisdem rebus satisfaceret, cum eorum nimias fortasse cupiditates explere nullo modo posset. Vox κακῶς ἔρδων referenda videtur ad severiora illa consilia, quibus utendum erat, si omnino rerum ordinem restituere et legibus honorem reddere voluit, ut voluit, quibus tamen ille vindex neglectarum civitatis legum sive a nobilibus sive a plebeiis poenas petebat, non magis utrarumque partium gratiam iniit. Neutri igitur civium parti eum satisfacere potuisse verisimile est, quamquam summa utebatur temperantia, cum vim et arma adhibere ad ea, quae volebat, perficienda nollet. Huc pertinent, quae postero tempore dixit v. 949 seqq.:

Νεβρὸν ὑπὲξ ἐλάφοιο λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθὼς
ποσσὶ καταμάρψας αἵματος οὐκ ἔπιον.
τειχέων δ' ὑψηλῶν ἐπιβὰς πόλιν οὐκ ἀλάπαξα·
ζευξάμενος δ' ἵππους ἅρματος οὐκ ἐπέβην,

quibus id mihi dicere videtur, sese rei publicae praefectum, quamquam summam imperii teneret, tamen potestate a populo sibi delata ad occupandam tyrannidem abuti noluisse, quod facile ei tum temporis fuisse quis non videt? Ab inimicis autem eum de imperio esse depulsum cognoscas ex v. 1023 seq.:

Οὔποτε τοῖς ἐχθροῖσιν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα θήσω
δύσλοφον, οὐδ' εἴ μοι Τμῶλος ἔπεστι κάρη,

si contuleris cum v. 447 seqq.:

Εἴ μ' ἐθέλεις πλύνειν κεφαλῆς ἀμίαντον ἀπ' ἄκρης
αἰεὶ λευκὸν ὕδωρ ῥεύσεται ἡμετέρης.
εὑρήσεις δέ με πᾶσιν ἐπ' ἔργμασιν ὥσπερ ἄπεφθον
χρυσόν. κτλ. . . .

Prius distichon utrum scripserit florente in re publica auctoritate, an loco iam motus, nihil interest; at certe inde intellegitur, id quod probare studemus, multos ei obtrectasse insidiasque fecisse. Qua autem illi ratione usi pervenerint quo volebant, ut gradu eum moverent, cognoscitur ex altero illo disticho, ubi operam dare videtur ut aliqua suspicione se exsolvat. Quae suspicio quo spectaverit — sive ei supponebatur studium divitiarum iniuste parandarum, sive consilium affectandae tyrannidis — hoc quidem non patet, sed non est dubitandum, simulatque magnus haberi in re publica et aliquid valere coeperit, quin multi exstiterint, qui eius studiorum et consiliorum sinceritatem animique can-

dorem in suspicionem vocarent. Neque id mirum, cum ab tali homine, qualem iam cognovimus Theognidem, ab incorrupta eius virtute quidvis metuerent ii, qui ex alienis incommodis suam occasionem petebant. De quibus plebis turbatoribus, qui praetexto studio rei popularis sua commoda sectabantur et multitudinem ad perversa consilia abducebant, saepius mentio fit, ut v. 41 seq.:

ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ᾽ οἵδε σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ
τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.

et v. 855 seq.:

Πολλάκι δὴ πόλις ἥδε δι᾽ ἡγεμόνων κακότητα
ὥσπερ κεκλιμένη ναῦς παρὰ γῆν ἔδραμεν.

Ex plebe autem fuisse eos, qui id moliebantur, ut eius auctoritatem imminuerent, aut certe opinione facilius plebi persuasum esse ab invidis illis et ambitiosis civibus, maxime inde conicio, quod tam saepe plebis ingratum animum incusat, ut v. 853 seq.:

Ἤιδεα μὲν καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λώϊα δὴ νῦν,
οὕνεκα τοῖς δειλοῖς οὐδεμί᾽ ἔστι χάρις

et v. 955 seq.:

Δειλοὺς εὖ ἕρδοντι δύω κακά· τῶν τε γὰρ αὐτοῦ,
χηρώσει πολλῶν, καὶ χάρις οὐδεμία.

Ita cum rabulis illis contigisset, ut credulae atque imperitae multitudinis odium in eum concitarent, ita cum ipse vidisset innocentiam studiorum et consiliorum parum a civibus intellegi, tantumque abesse, ut ipse ab iis gratiam iniret, ut contra conviciis perstringeretur, cum cognovisset, acerbissime se ab illis incusari, quorum saluti optime consuluisset: tum non mirandum est, tanta eum ira in flammatum esse, ut fere ultra omnem aequitatem prodiens in plebem inveheretur talibus verbis (v. 847 seqq.):

Λὰξ ἐπίβα δήμῳ κενεόφρονι, τύπτε δὲ κέντρῳ
ὀξέϊ, καὶ ζεύγλην δύσλοφον ἀμφιτίθει·
οὐ γὰρ ἔθ᾽ εὑρήσεις δῆμον φιλοδέσποτον ὧδε
ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.

Qui versus saepissime Theognidi a doctis hominibus crimini dati sunt, cum summae inhumanitatis atque saevitiae esse viderentur et poeta nimia superbia et fastidio elatus iniustaque ira et acerbitate commotus ad talia descendisse putaretur; sed cavendum est, ne nos severiores iudices in Theognidem praebeamus, quam ipse fuit in plebem Megarensem. Nam quid gravius, quid acerbius in hominem cadere potest, quam videre plane se ignorari a

civibus, quorum saluti operam dare nunquam desierit? Et quid nunc mirum, quid insolens in illis versibus? Lenioris utique et tranquillioris animi, sed qui nondum vacet omni dolore, et sine dubio scripta, quo tempore iam loco erat motus, haec sunt, quae leguntur v. 675 seq.:

. . . . . . κυβερνήτην μὲν ἔπαυσαν
ἐσθλόν, ὅ τις φυλακὴν εἶχεν ἐπισταμένως·
χρήματα δ' ἁρπάζουσι βίῃ, κόσμος δ' ἀπολωλεν κτλ.

et v. 233 seq.:

Ἀκρόπολις καὶ πύργος ἐὼν κενεόφρονι δήμῳ,
Κύρν', ὀλίγης τιμῆς ἔμμορεν ἐσθλὸς ἀνηρ.

Quid enim impedit, quominus voces ἐσθλὸς ἀνήρ et κυβερνήτην ἐσθλὸν a Theognide de se ipso dictas esse putemus et utrique substantivo adiectam vocem ἐσθλόν esse sensu civili, quo plerumque usurpatur, ita ut gubernatoris sive principis i. e. Theognidis nobile genus opponatur humili consiliique experti plebi, cuius potissimum mobilitate et stultitia acciderat, ut aliis cedere cogeretur.

Haec omnia, quae hactenus diximus de loco, quem Theognis in re publica obtinuisse videtur, si iterum respicientes paucis comprehendimus, illud fit verisimile non tantopere eum optimatibus studuisse, quantopere multis adhuc persuasum est, aut fieri non potuisse, ut omnium consensu rei publicae praeficeretur. Sed qua re per breve tempus omnium animos in eum conversos vidimus, ea ipsa re, quod neutris partibus plane deditus, mediam viam ingredi in re publica animum induxerat et ne seditionibus quidem ortis desiit, factum est, ut utrique parti invidiae esse coeperit, cum quaecumque consilia rei publicae restituendae gratia adversus alterutram partem inierat, semper seditiosis civibus et factionum ducibus, sive hinc sive illinc stabant, locum dedit, unde in eum inveherentur. Scilicet ab iis, quibus cum genere et ordine erat coniunctus, respuebatur, postquam plebeiorum partibus favere visus est, cum plebe autem rem facere, cui non minus suspectus erat, neque potuit et ob generis nobilitatem noluit. Huc revocandum est illud, quod tam saepe Theognis queritur de amicorum perfidia, de plebis impietate et iniquitate. Et hic facere non possum, quin aliquid paucis attingam, quod, quantum scio, ab iis, qui Theognidis interpretationi operam dederunt, adhuc fere neglectum est. Sunt enim apud Theognidem pauci quidam loci, qui eo a ceteris differunt, quod unum aliquem alloquentes animi maxima ira

commoti esse videntur. Quorum duo incipiunt a voce ὦ ἄνθρωπε, v. 453 seq. et v. 595 seq.; ex ceteris in hunc numerum refero v. 439 seq., 599 seq., 611 seq. Persuasum autem mihi est haec carmina omnia in eundem hominem esse scripta, a quo poeta ipse dicit (v. 599 seqq.) simulata amicitia se deceptum esse. Quod ut existimem, intercedere inter ea, quae dixi carmina quandam necessitudinem, commoveor maxime argumenti similitudine, quae mihi mira videtur. Hoc si ita est, licetne conicere Theognidem illud munus, quo eum functum esse ipsius verbis probatur, non unum ex suo arbitrio administrasse, sed socium aliquem potestatis et collegam ei additum esse, aut populi suffragiis aut ab ipso electum, quocum Theognis omnia consilia communicaret, qui tamen auctoritate, quam sibi Theognidis auxilio comparaverat, male usus id studuerit et effecerit, ut ipse rerum potitus illum e munere moveret. Mirifice hac ratione complures loci illustrantur, quibus Theognis identidem monet, ne κακῷ sive δειλῷ ἀνδρί fides habeatur, quippe cum vix credi possit, ob illud ipsum, quod aut rei populari deditus aut e plebe esset, quemquam ab eo pro perfido habitum esse, nisi accessisset aliquid, quod ipsi ab tali homine acciderat. Loci autem, de quibus modo dixi, sunt hi:

Ὤνθρωπ᾽, εἰ γνώμης ἔλαχες μέρος ὥσπερ ἀνοίης,
καὶ σώφρων οὕτως ὥσπερ ἄφρων ἐγένου,
πολλοῖς ἂν ζηλωτὸς ἐφαίνεο τῶνδε πολιτῶν,
οὕτως ὥσπερ νῦν οὐδενὸς ἄξιος εἶ. (v. 453 seqq.)

Ab iisdem verbis incipiunt v. 595 seq.:

Ἄνθρωπ᾽, ἀλλήλοισιν ἀπόπροθεν ὦμεν ἑταῖροι
πλὴν πλούτου παντὸς χρήματός ἐστι κόρος.

Maxime vero ira incensum fuisse apparet poetae animum cum scriberet v. 599 seqq.:

Οὔ μ᾽ ἔλαθες . . . .
. . . . κλέπτων ἡμετέρην φιλίην.
ἔρρε, θεοῖσιν τ᾽ ἐχθρὲ καὶ ἀνθρώποισιν ἄπιστε,
ψυχρὸν ὃς ἐν κόλπῳ ποίκιλον εἶχες ὄφιν.

Idem, puto, significatur v. 439 seq.:

Νήπιος, ὃς τὸν ἐμὸν μὲν ἔχει νόον ἐν φυλακῇσιν,
τὸν δ᾽ αὐτοῦ ἴδιον οὐδὲν ἐπιστρέφεται.

et v. 611 seq.:

Οὐ χαλεπὸν ψέξαι τὸν πλησίον οὐδὲ μὲν αὑτόν
αἰνῆσαι· δειλοῖς ἀνδράσι τοῦτο μέλει.

Quae modo coniecimus, etiam si aliis fortasse minus probantur et ne a nobis quidem pro certis habentur, quia tota haec res in tanta obscuritate versatur, tamen illud consecuti esse nobis videmur, ut aliquot distichis, in quibus aliter fere nulla vis cernitur, gravius argumentum vindicetur. Manifestum est enim graviora apparere ea carmina, quibus certae quaedam res subesse videantur, quam quibus aliquod praeceptum de communi vita contineri putetur. Et nos cum primum in hunc sensum illos versus accepimus, identidem legendo ab ea opinione tantum abest ut abducamur, ut magis magisque crescentem per singulos versus tamquam praesentis Theognidis indignationem persequi posse nobis videamur, dum denique illum quicunque fuit, qui se in eius familiaritatem insinuaverat, cognita perfidia respuit atque reicit. Nam magnopere abhorruisse illius ingenium et studium a Theognide censendum est, si quidem adversus eundem scripti sunt v. 221. seqq.:

Ὅστις τοι δοκέει τὸν πλησίον ἴδμεναι οὐδέν . . .
. . . κεῖνος γ᾽ ἄφρων ἐστί, νόου βεβλαμμένος ἐσθλοῦ. κτλ.
ἀλλ᾽ ὁ μὲν οὐκ ἐθέλει κακοκερδίῃσιν ἕπεσθαι,
τῷ δὲ δολοπλοκίαι μᾶλλον ἄπιστοι ἅδον.

unde denuo Theognidis admirabilis animus cognoscitur et ab insidiis fallaciisque alienus. Denique si licet conicere ex v. 612 (δειλοῖς ἀνδράσι τοῦτο μέλει) adversarium illum e plebe fuisse, plane intellegitur, cur tam saepe acerbissimis verbis in plebis perfidiam invehatur et Cyrnum suum moneat, ne τοῖς κακοῖς sive δειλοῖς h. e. plebeiis hominibus fidem habeat, ut puta v. 69 seqq.:

Μήποτε, Κύρνε, κακῷ πίσυνος βούλευε σὺν ἀνδρί,
εὖτ᾽ ἂν σπουδαῖον πρῆγμ᾽ ἐθέλῃς τελέσαι,
ἀλλὰ μετ᾽ ἐσθλὸν ἰὼν βούλευ καὶ πολλὰ μογῆσαι
καὶ μακρὴν ποσσίν, Κύρν᾽, ὁδὸν ἐκτελέσαι.

Cuius praecepti causam addit v. 65 seqq.:

. . . . γνώσῃ γὰρ ὀϊζυρῶν φρένας ἀνδρῶν,
ὥς σφιν ἐπ᾽ ἔργοισιν πίστις ἐπ᾽ οὐδεμία,
ἀλλὰ δόλους τ᾽ ἀπάτας τε πολυκλοκίας τ᾽ ἐφίλησαν
οὕτως, ὡς ἄνδρες μηκέτι σωζόμενοι.

Sed haec utut sunt, quae coniecimus de adversario illo, cuius opera Theognidem e munere summotum putamus, hoc apparet Megarensem populum tum iam magis turbulentis civibus rabulisque fidem habere coepisse, quam iis hominibus, qui cum

innocentia et aequitate rei publicae consulerent, et in dies magis in civitate increbuisse perfidiam et vanitatem, et illo tempore iam non locum fuisse in re publica tali homini, qualis fuit Theognis. Sed is ne per otium quidem plane animum a re publica avocavit. Nam quam saepe queritur civitatem in discrimine versari et magis magisque praecipitem agi ad pestem atque perniciem, unde eripi, nisi quod auxilium divinitus deferatur, cives iam non possint! Ex quo enim boni cives sint expulsi eorumque bona teneantur a malis civibus et a multitudine, quae temere circulatorum insaniam atque audaciam sequatur, inde ab eo tempore iam nullam esse aut generis aut virtutis nobilitatem, virtutum in honore esse nullam, divitias esse pro virtute, inde ab illo tempore deos, quorum in patrocinio patria (ἱερὴ ἥδε πόλις v. 604) ad id fuerit, discessisse et uni deo Πλούτῳ sacra fieri. Pauperem hominem in re publica iam nihili haberi, quamvis summa excellat vitae dignitate, summa morum integritate atque innocentia; paupertate eum cogi semper silere; difficile tamen illud silere esse homini sapienti non minus quam perficere, ut sua auctoritas apud tam insanos cives aliquid valeat. Haec fere sunt, quae Theognis de re publica queri non desinit; et ex his, puto, optime apparet Theognidem non eum fuisse — id quod multi adhuc opinati sunt — qui adductus sive senili quadam morositate et tristitia, sive insolentia ac fastidio, quod veteris atque indigenae nobilitatis adversus plebem proprium esse solet, omnia corriperet et vituperaret, quae a sua sententia discreparent. Immo vero magis magisque Theognidea perlegentes animoque reputantes, quid de re publica, de hominibus, de omni vita iudicaverit, intellegimus, summam in eo fuisse benevolentiam in cives, summum patriae amorem, incredibile studium virtutis et honestatis, animum nobilitate quadam insignem.